§. 19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in romana curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, et postea infra viginti dies a die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censetur vacare.

De idiomate.

§. 20. Item voluit, quod si contingat tam in curia, quam extra, alicui personæ de parochiali ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat

idioma loci, ubi ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam, vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decerneos irritum etc.

§. 21. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet, provisio, et quævis dispositio, etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

§. 22. Item voluit, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annum valorem secundum communem æstimationem, tam beneficii noendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De unionibus, et unionum confirmatione.

§. 23. Item de mendicantibus transferendis, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. record. Martini papæ V. prædecessoris sui desuper factam, et in libro Cancellariæ apostolicæ descriptam, quæ incipit: *Viam ambitiosæ cupiditatis etc.* firmiter observari.

De Mendicantibus transferendis.

§. 24. Item de clericis extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis literis ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piæ mem. Pii secundi similiter prædecessoris sui desuper editam, et in dictæ Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit: *Cum ex Sacrorum Ordinum etc.* pari modo observari.

De male promotis.

§. 25. Item declaravit idem Dominus noster, quod libra Turonensium parvorum, et florenus auri de camera pro æquali valore in concernentibus literas, et Cameram Apostolicam computari, et æstimari debeant.

De moneta.

26. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quo quæcumque concessionem, gratiæ, et mandata etiam motu proprio, et cum derogatione hujus constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcum-

De Beneficiis vocaturis per promotionem ad Ecclesias, et Monasteria.

que, ad ecclesiarum, et monasteriorum regimina, si hujusmodi concessionem, et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint; nec non quæcumque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque prælaturas, inter illarum vacationis, [et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit, cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non iudicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.

§. 27. Item cum ante confectionem literarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem Dominus Noster, quod iudices in romana curia, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel quicumque alii non juxta supplicationum signaturam, super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per placet, vel per S. R. E. vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernens irritum etc. Et si literæ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam ad apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De regulis Cancellariæ producendis.

§. 28. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria apostolica regulis, et constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos, qui in romana curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum, et constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, et negociorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica iudicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dum-

taxat stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper a duobus majoris præsentitiæ, quod danda sit, a tergo signatæ, et etiam a duobus aliis literarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, et vicecancellarii, seu dictam Cancellariam regentis manu subscriptæ; ut moris est, quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris, vel momenti.

§. 29. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, et ne novi colligantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, et ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico colligantem in jure, vel ad jus, siquod forsitan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus colligans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possiderit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessionem, etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum impetrant, ut illis decedentibus, tamquam colligantes in eorum juribus facilius subrogentur; voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, et subrogatio, vel gratia is neutri, si nulli, seu novæ provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsitan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De subrogandis colligantibus.

§. 30. Item voluit, et ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in aucta fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint,

De verisimili notitia.

ad notitiam ejusdem SS. D. N. verisimiliter potuerint pervenire.

Non valeant
commissiones
Causarum nisi
literis expedi-
tis.

§. 31. Item quod omnes, et singulæ commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentu, vel occasione concessionum dumtaxat apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

De impetran-
tibus Beneficia
per obitum fa-
miliarium Car-
dinalium.

§. 32. Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus cardinalis, teneatur exprimere nomen, et titulum ipsius Cardinalis, et si ille in curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla, et idem servari voluit, si cardinales quomodolibet ab ipsa curia absentes, et ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, et lares in eadem curia retinentes ab ipsa curia recesserint, ad eandem illico reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint. Ita quod cardinalibus alias, quam, ut præfertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria, et hic necessario exprimenda absentibus facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Sux, et Sedis apostolicæ provisionem, et dispositionem pertineant. Declarans regulas, et constitutiones suorum prædecessorum, etiam a die earum editionis, et publicationis super assensu hujusmodi præstando sic intellectas, et intelligendas fuisse. Irritumque etc. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares eorundem cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum cardinalium familiaritatem similem transierint quoad beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus, vel ad quæ priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint suum habeant adhibere consensum. Declarans præsentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparent. Nec non illos quoad affectum dictæ constitutionis familiares eorundem cardinalium censeri, qui ipsorum cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tem-

pore ante promotionem ad cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum etc.

§. 33. Item D. N. ad evitandas lites, et contentiones, quæ ex præcedenti sua constitutione exoriri possent, vestigia prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, et ordinavit, quod si beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commensalium eorundem cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione literarum illius cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat: sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem cardinalis ordinarii collatoris, ut præfertur, libere spectare censeantur; et si apud sedem apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione literarum, illius cardinalis exigatur consensus, si in romana curia præsens fuerit, ad quem eorundem collatio, et dispositio, ut præfertur, pertinere deberet. Itant cardinalis ordinarius collator, in concursu cum cardinali patrono semper præferri debeat, salvis tamen semper indulgentiis concessis, et concedendis eisdem S. R. E. cardinalibus. Decernens irritum etc.

Super eadem
familiaritate.

§. 34. Item voluit idem D. N., quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio per Fiat, et Concessum signaturis, ex eis per Fiat etiam ut petitur habeas, alteri per concessum etiam motu proprio habenti præferatur, etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, et quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.

Signatura per
fiat præferatur
alteri per con-
cessionem

§. 35. Item SS. D. N., ut improbæ lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate præcedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, causamque

De Anali Pos-
sessore.

et tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur; alioquin impetratio prædicta, et quæcumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et interesse possessorem prædictum propterea contingentibus, ei satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cæsaræ Apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per literas si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa excessus, et crimina vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

De triennali.

§. 36. Item statuit, et ordinavit idem D. N., quod si quis quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit, (dammodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetraciones quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, et inanes censi debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando ante Sententiam diffinitivam.

§. 37. Item idem D. N., ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus, et expensis, suorum prædecessorum constitutionibus, et statutis inhærendo, statuit, et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum commit-

tantur, nisi in commissione exprimat, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, et commissiones in posterum, et quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti: commissionibus appellationum jam iudicibus præsentatis, et exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, et appellationes etiam ab interlocutoriis, et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna multentur.

§. 38. Item statuit, et ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusam existat, in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi commissionis, eidem conclusioni, ac præsentis regulæ derogetur expresse.

Non stetur Commissioni post conclusionem.

§. 39. Item voluit, et ordinavit, quod si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile, cum clausula, quod exinde pro solo nutu abbatis, vel superioris amoveri non possint, literæ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De literis Religiosorum expediendis.

§. 40. Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio ponatur clausula: *Attente quoque provideas etc.*; Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula: *Quod neuter permutantium jus acquirat*, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De Clausula ponenda in literis permutationis Beneficiorum.

§. 41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literæ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per *Fiat, ut petitur*, supplicatio signata fuerit.

De suppleendis defectibus.

§. 42. Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de jure patronatus laicorum non expediantur literæ, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis

De derogatione juris patronatus.

ad præsentandum a jure præfixum lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum juripatronatus hujusmodi derogari contigerit, juris patronatus hujusmodi mentio, dispositive, ac specificè, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat. Et si de hoc in literis provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

§. 43. Item voluit, quod nulli sæculari de regulari, nec religioso de sæculari beneficiis commenda detur, nisi in signatura, vel per clausulam ad partem super petitione commendæ hujusmodi, de commenda ipsa mentio fiat.

De Reformationibus.

§. 44. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literæ super prima data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali data cuiquam videatur posse fieri præjudicium, literæ hujusmodi sub ipsa prima data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi per *Fiat* sub prima data signatæ fuerint.

De consensu in resignationibus.

§. 45. Item voluit, et ordinavit, quod super resignatione cujuscumque beneficii ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicæ literæ nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in romana curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem cancellaria expresse consenserit, et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem, seu cedentem pluries super uno, et eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, et alii posteriores consensus, ac literæ eorum prætextu, etiam sub priori data expeditæ pro tempore nullius sint roboris, vel momenti, nec literæ reservationis, vel assignationis, etiam Motu proprio, cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debeat.

De ingressu Religionis.

§. 46. Item non dentur literæ super beneficiis vacaturis per ingressum reli-

gionis, nisi professio præcesserit. Datam desuper petitionis.

§. 47. Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in cancellaria apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ desuper expediantur.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

§. 48. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adiectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, iudex datur, literæ desuper expediantur cum expressione, quod idem iudex executionem faciat per se ipsum.

De executione faciendâ.

§. 49. Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula: *Si mulier rapta non fuerit*. Et si scienter, ponatur clausula: *addita in quaterno*.

De dispensationibus in gradibus Consanguineitatis.

§. 50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula: *Quod non præjudicetur illis*, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super defectu Natalium.

§. 51. Item, quod per quamcumque signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Super dispensationibus.

§. 52. Item, cum concessionem super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per regulas cancellariæ apostolicæ sint providè limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensative tenere, aut facere præsumat, ad quod concessionem hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N., quod nulla talis dispensatio cuiquam in iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea literæ apostolicæ sint confectæ.

Nulli suffragetur dispensatio nisi literis confectis.

§. 53. Item voluit, quod in literis indulgentiarum ponatur, quod si ecclesiæ, vel cappellæ, aut alias aliqua indulgentia fuerit concessa, de qua iubi specialis mentio facta non sit, hujusmodi literæ sint nullæ.

De clausulis ponendis in literis indulgentiarum.

§. 54. Item voluit idem D. N., quod literæ super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De Indulgentiis concessis ad instar.

§. 55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis, vacantibus, seu certo modo vacaturis

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

fieri contigerit, illorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus Sensus valor per marchas argenti, aut anerligorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem æstimationem exprimat, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ: Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac literis, per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium, et cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis conceditur, ut monasteria, et alia beneficia ecclesiastica sæcularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus, et ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De Clausulis
in Beneficiis
vacantibus ponendis.

§. 56. Voluit, et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ si petantur, etiamsi illud quovis modo ec. seu per constitutionem *Execrabilis* vacet, et specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit, et si pro colligante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli ec. petente, si tunc lis specificè exprimat; nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione specialis, et expressa, ac pure, et non sub conditione mentio fiat, et tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro colligantibus, si neutri, vel si nulli ec. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur collectorem, vel unicum subcollectorem, abbreviatorem, vel familiarem, notarium, aut dictæ Sedis officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo, quod talis collector, vel unicus subcollector, abbreviator, vel familiaris, notarius aut dictæ Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus

quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

§. 57. Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque imminet cura animarum, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De expressione
qualitatum
Beneficiorum
in impetrationibus.

§. 58. Item si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem vacaturis ponatur clausula, etiamsi non petatur, cum beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum &c.

De Beneficiis
vacantibus per
contractum
Matrimonii.

§. 59. Item voluit, quod si petatur aliquem in religionem recipi, et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, receptio hujusmodi dumtaxat detur, adiecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat impedimentum et exprimat si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, et si numerus iste non existat, ponatur; dummodo receptionis locus huiusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.

De Clausuliponendis in
literis Religiosorum.

§. 60. Item, si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius monasterii, vel loci religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De translatione
Religiosorum.

§. 61. Item, quod in literis super beneficiis per constitutionem *Execrabilis*, vacantibus ponatur clausula, *Si est ita*, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

De Clausula si
est ita.

§. 62. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti, prout expederint impetranti.

Petenti de vacaturo, dentur
literæ de vacanti.

Revocatio Decimarum, et aliarum impositionum.

§. 63. Item revocavit quascumque decimarum, necnon subsidiarum, vigesimæ, et aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum, subsidiarum, et onerum impositorum ex quavis causa, et occasione expeditionis contra turchas, et orthodoxæ fidei hostes) et quascumque facultates super decimarum, vigesimæ, et onerum huiusmodi exactione, quibusvis fructuum, et proventuum Camere apostolicæ debitorum collectoribus, et Apostolicæ Sedis nunciis ab eisdem prædecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suæ Sanctitatis, et Sedis apostolicæ beneplacitum, quascumque plenarias indulgentias ab eisdem prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis huiusmodi, si quæ per nuncios, vel quæstores deferebantur concessas, necnon deputandi, et eligendi confessores, qui plenarie absolvant, et alia faciant ad earumdem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus indulgentiæ, et facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum. Itaut illis, qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum huiusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per huiusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decevit quoque irritum, et inane quicquid facultatum revocatarum earumdem prætextu, in posterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

§. 64. Item revocavit, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum romanæ curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, et quasvis concessionem, et collationem, aliasque dispositiones per fel. recor. Clementem XIII aliosque prædecessores de dictis officiis etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earumdem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, eclesiar. monasteriorum, piorum locorum collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus; et ex titulo oneroso, et sub quavis alia verborum forma, quam et præmissorum tenore pro expressa haberi voluit, concessas, et factas, quoad officia, quæ post dictorum prædecessorum funus vacarunt, et in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascum-

que infeudationes, investituras, gratias, concessionem quoquomodo etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum etiam motu proprio, et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine S.R.E. cardinalium consilio, et consensu) a die constitutionis fel. cord. Pii PP. V. prædecessoris sui super prohibitionem alienandi, et infeudandi civitates, et loca S.R.E. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kalend. aprilis, pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocumque, et qualitercumque, et quovis colore factas, et concessas de civitatibus, terris; oppidis, castris, arcibus, et locis S.R.E., et sanctæ Sedi apostolicæ, et tam mediate, quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes, et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum factarum, quibusvis personis, cujuscumque gradus, status, conditionis, et præminentiae, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, et ex quocumque titulo etiam oneroso, et per quascumque tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub anulo piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, et qualitercumque expeditas literas, ac sub quavis verborum forma, quam et præmissorum omnium tenore, sanctitas sua pro expressis haberi voluit latissime extendendos.

§. 65. Item, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus ec. certum per eos expressum annum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a sanctitate Sua, ut huiusmodi valorem annum augere possint, ut verius possit in confectione literarum, super huiusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate huiusmodi concessionis in posterum hæsitari contingat, decla-

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausula

ravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quæ desuper fiet literarum expeditione dumtaxat augeri posse, et eas quas literis jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiale gratiæ, et dispositiones quæcumque a Sanctitate Sua emanaverint.

De insordescensibus

§. 66. Item, ne personis, pro quibus litteræ Suae Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, et in literis apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis: statuit, et ordinavit hujusmodi absolutionem, et clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari præcurantibus litteras, et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuncios, vel exequentores apostolicæ Sedis, et ejus officialium, ejus commissa exequentes, impediens, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam, ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuū insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum

§. 67. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales romanæ curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negociorum quorundam expeditionem in eadem curia exigere non verentur, obviare volens; districtè præcipiendo inhibuit omnibus, et singulis quævis officia in eadem curia obtinentibus, ne de cætero quidquam prætextu officiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incum-

bunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et præter illam suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum, et pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, pœnis. Ac voluit, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, et Camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, et alias, prout melius expedire viderint, procedant.

§. 68. Item Sanctissimus D. N. provide considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam conclavistis, quam pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia, et singula beneficia per regulas Cancellariæ apostolicæ, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales, Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus fel. record. Clementis XIII. prædecessoris sui, usque ad diem decimam nonam Maji proxime præteriti vacaverunt, et de quibus per quoscumque Ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum ec.

Revocatio Decimarum, et aliarum impositionum

§. 69. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem, quandoque contigit prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum ad vitam supplicantium cum gravi successorum præjudicio, et ecclesiarum detrimento: ideo indemnitati ecclesiarum, et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens; revocavit, cassavit, et annullavit omnia, et singula indulta, et facultates in ea parte, qua nondum vere, et realiter suum sortita sunt effectum,

Revocatio Indultorum superventia

per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, et ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendere, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam beneficiorum, et tempus quo beneficia hujusmodi obtinerint, minime restricto, et coarctato illorum tenore etc. Decernens irritum etc.

70. Item, cum S. R. E. cardinales SS. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, et declaravit, quod in quibuscumque constitutionibus, et regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi cardinales, nisi illæ eorundem cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edendæ de eorundem cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum cardinalium expressa mentio.

71. Item Sanctitas Sua statuit, et declaravit, quod præmissis, et quibusvis aliis regulis Cancellariæ suo tempore edendis, et publicandis, numquam censeatur derogatum in quibuscumque constitutionibus, literis, brevibus, indultis, et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio, et ex certa scientiâ emanatis, per quæcumque verba, et decreta derogatoria, irritantia, universalis, et amplissima, et clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatorias derogatorias, atque specialis, et indiduxæ expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo.

72. Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignorant in supplicationibus, vel in literis apostolicis aliquid scriberent, corrigent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, et con-

cessionibus fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas, committere in curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis, et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per literas apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus dispositioni apostolicæ generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem valorem annum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum referendariorum manibus signatas, de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prærogare terminos, de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

Placet, publicentur, et describantur L.

§. 73. Lectæ, et publicatæ fuerunt supradictæ regulæ, ordinationes, et constitutiones in Cancellaria apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris præsidentie abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo nono, die vero IX. mensis Junii Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Clementis XIV. Anno Primo.

Thomas Antognettus Procustos.



Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis lucendis

Quod regula Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus

potestate Reverendissimi Vicecancellarii, et Cancellarii Regni

Publicatio

Dat. die 20.
Janu 1769.
Anno I.

III.

Gratiæ, et privilegia conclavistas postremis conclavis concessa.

Clemens Papa XIV.

Urbis

Motu proprio etc. Nos volentes dilectos filios, conclavistas, qui conclavi, in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem, assumpti fuimus Nobis, et venerabilibus fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus, uti familiares, et continui commensales inservientes interfuerunt, quique ea de causa labores, vigilas, et incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis et privilegiis pro cujusque meritis exornare, ipsosque conclavistas, quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in rolo, seu divisione, subscripto, seu subscripta per venerabilem fratrem nostrum Carolum Albertum episcopum ostiensem, et veliternensem S.R.E. Cardinalem Guidobonum Cavalchinum nuncupatum pro Datarium Nostrum summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot officiorum vacabilium ad Nos spectantium gratiose donavimus in veros, indubitatos, et non fictos familiares, et continuos commensales Nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiæ clericali adscribi desiderant, quosque tres præfatæ S.R.E. Cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate, et aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint in Nostros, et Sedis apostolicæ notarios sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero participantium notariorum recipimus, et tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint sacri palatii, et aulæ Lateranensis comites, et milites, et tam illos quam omnes etiam quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt nobiles, quique urbis, vel alicujus alterius ex civitatibus temporali dominio eidem S.R.E. mediate, vel immediate subjectis cives esse voluerint, singulos in ea ipsa civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et sine ulla prorsus differentia inter eos, et singulos alios veros originarios, et antiquissimos etiam

nobiles, et participantes cives ipsius urbis, vel civitatis, ita ut ipsum Jus civilitatis ad quoscumque illorum hæredes eodem modo transeat creamus, constituimus, et deputamus, ac nobilitatis, et civilitatis titulo, honore, et insigniis decoramus, aliorumque familiarium, et continuorum commensalium Nobis acti in palatio Nostro apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium, et bibentium, ac Nostrorum et Sedis præfatæ notariorum palatii, et aulæ prædictorum comitum, militum, et nobilium, ac civium hujusmodi originariorum numero, et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, et indubitatis, et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis Nostris, comitibus, nobilibus, militibus, et civibus deinceps haberi volumus, et reputari mandamus, eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, et literis tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos commensales, Nostrosque comites milites, nobiles, et cives etiam originarios nominare possint, nec propterea impetrationes, concessiones, et literæ hujusmodi subreptionis vitio subiaceant, sed valide, et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et, quibuscumque, ac prorsus similibus antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri familiares tempore dictæ assumptionis Nostræ ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiam si habitum, et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique, et aulæ præfatorum comites, milites, nobiles etiam originarii, ac antiquissimi cives ejusdem urbis, vel civitatis, quam, ut præfertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili, et cive originario, et antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam per quascumque literas, seu constitutiones apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, et extra, sine tamen eorundem

Etiam pro hæredibus,

Donatio scutorum decem millium auri.

Receptio in familiares.

In Notarios.

Creatio in Comites, Milites, et nobiles.

Electio Civilitatis.

notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant, realiter, et integre in omnibus, et per omnia etiam in urbe, et civitate hujusmodi non habitaverint, petende ac si de vere nobili genere, et ex utroque parente nobili originario, ex antiquissimo cive procreati forent, et hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratias, favores, concessiones, indulgentias, et jura, quæ pro aliis nobilibus, et civibus originariis emanarunt, et quæ ratione nobilitatis, et civitatis naturalis, et originariæ aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, et eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competere auctoritate, et tenore similibus indulgemus. Ac conclavistas præfatos a solutione, et exactione quarumcumque decimarum, non tamen decimarum, subsidiorum, et onerum in subsidium expeditionis contra turcas, et orthodoxæ fidei hostes impositarum, et impositorum, et cujuscumque pedagiis, subsidii, gabellæ, et cujuscumque oneris ordinarii, et extraordinarii, quæ locorum, et ex quacumque quantumvis urgentissima, et inexcogitabili causa, et occasione etiam ad instantiam imperatoris, regum, et reimpubliantarum, etiam venetorum, et aliorum quorumcumque principum impositarum, et imponendorum, pro tempore ex tunc, prout ex tunc, et contra, et postquam casus hujusmodi impositionis, et solutionis evenerit liberamus, et eximimus, liberosque, et exemptos fore, et esse decernimus, districtius inhibentes dilectis filiis nunc, et pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. camerario, thesaurario, præfatisque, clericis, ac quibuscumque aliis officialibus. Camere Nostræ apostolicæ, ac exactoribus decimarum, præterquam decimarum subsidiorum, et onerum in subsidium expeditionis contra turcos, et orthodoxæ fidei hostes, ut præferatur, impositarum, et impositorum, nec non cujuscumque pedagiis, subsidii, gabellæ, et aliorum, ut præfertur, impositorum onerum hujusmodi, ac aliis personis, et quibuscumque ecclesiasticæ, vel sæcularis dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus, nec eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut in sui præmissis, et eorumque usu, possessione, vel quasi directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, vel alias quomodolibet impedire, quoquo modo

presumant, nec non eisdem conclavistis, quod bona quæcumque ad ipsos, et eorum quolibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura sæcularium, et quorumvis ordinum, et militiarum, atque hospitalium quorumcumque regularium, nec non canonicatum, et præbendam, ac dignitatum quorumlibet per eos alias obtentorum, et obtinendorum, aut alias quomodolibet, et quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen, et alias licite acquisita, seu acquirenda etiam in dicta urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia spoliis minime subiaceant, sed conclavistæ præfati, etiam si religioni alicujus militiæ, non tamen Joannis Hierosolimitani adscripti, et in ea expresse professi fuerint, de illis in favorem quorumcumque personarum de jure tamen capacium, etiam si cariales esse desiderint, et in quocumque loco, quantumvis remoto, etiam extra eorum propriam residentiam, eos decedere contigerit testari, vel alias disponere, et sic ab intestato decedentibus legitime eorum hæredes quicumque succedere libero, et licite valeant, simili modo concedimus, et indulgemus, præcipientes, et mandantes eisdem præfatis S. R. E. camerario, thesaurario, præfatisque, clericis, et quibusvis aliis spoliarum hujusmodi collectoribus, et sub-collectoribus, ac militiarum, non tamen dicti sancti Joannis Hierosolimitani prædictarum receptoribus, officialibus, aut prioribus, et quibusvis aliis personis, tam sæcularibus, quam regularibus, etiam si cujusvis militiæ, et cujusvis gradus, status, ordinis, et præminentie, etiam si speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum conclavistarum de super molestare ardeant, seu presumant, ac etiam decernentes donationes etiam per vim testamenti, et codicillorum per ipsos conclavistas de eorum bonis hujusmodi faciendas semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, ac cum eisdem conclavistis etiam in militia sancti Joannis Hierosolimitani, et in quavis alia militia expressè professis, quod ratione quarumcumque pensionum annuarum eis, et eorum quilibet super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, et etiam mensurarum episcopalium, archiepiscopali, et sabbatiali, nec non dignitatum quorumcumque, ac monasterio-

Exemptio ab habitacione in civitate.

A gabellis, et decimis aliisque oneribus, exceptis decimis impositis in subsidium expeditionis contra turcas.

Exemptio a spoliis cum facultatibus testandi, exceptis equibus s. Joannis Hierosolimitani.

Facultas concessa etiam equibus cujuscumque militie retinendi pensiones ad summam ducatorum 200.

Absque neces-
sitate deferendi
habitum, et
tonsuram cleri-
calem.

Facultas tran-
sferendi Pensi-
ones usque ad
summam 100
ducatum.

rum etiam per eisdem Sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ Cardinales ad præsens ob-
tentorum, et in posterum quomodolibet
obtinendorum fructibus etc. ac etiam
distributionibus quotidianis, non
tamen ultra summam ducentorum du-
catorum auri de Camera pro quolibet
eorum, nunc, et pro tempore reserva-
tarum, et assignatarum, ac reservan-
darum, et assignandarum habitum, et
tonsuram clericalem gestare; et in il-
lis dummodo alias ipsi habitum decen-
tem, et honestum, ac per milites præ-
fatos gestari solitum deferant, incedere
minime debeant, nec ad id a quoquam
desuper cogi, seu compelli minusque
aliquas sententias, censuras, nec etiam
privationis, seu cessationis ipsarum pen-
sionum pœnas occasione præmissorum
incurrere possint, sed easdem pensio-
nes usque ad præfatam summam du-
centorum ducatorum huiusmodi ascen-
dentes, et reservatas, et in posterum
reservandas, ut præfertur, etiamsi ma-
trimonium, quoad milites alicujus mi-
litiæ, videlicet cum militia compati-
bile jam contraxerint, vel post hac con-
trahere voluerint cum unica, et virgi-
ne tantum recipere, et quoad vixerint
et quilibet eorum respective vixerit re-
tinere libere, et licite valeant de specia-
li dono gratiæ dispensamus: et insu-
per conclavistis præfatis, et eorum sin-
gulis, ut quicumque loci ordinarii, vel
canonici metropolitanarum, vel cathe-
dralium, seu duarum insignium urbis
collegiatarum ecclesiarum, aut perso-
næ aliæ quæcumque ecclesiasticæ in
dignitate ecclesiastica constitutæ tam in
romana curia, quam extra eam ad id
per eos, et eorum singulos eligendi,
seu eligendæ quascumque pensiones an-
nuas eis, et eorum singulis super qui-
buscumque fructibus etc. iuribus, ob-
ventionibus, et emolumentis universis,
certis, et incertis quarumcumque men-
suarum episcopalium, archiepiscopalium,
et abbatialium, ac etiam distri-
butionibus quotidianis etiam ratione ser-
vitii, et mercedis dignitatum, canoni-
catuum, et præbendarum, cæterorum-
que aliorum quorumcumque beneficio-
rum ecclesiasticorum cum cura, et si-
ne cura sæcularium, et quorumvis or-
dinum regularium, non tamen per S.
R. E. Cardinales obtentorum reservatas,
seu reservandas, seu fructus etc. hu-
jusmodi beneficiorum reservatos, seu
reservandos, etiamsi semel, vel pluries
translatæ, seu translati fuerint usque ad
summam centum ducatorum auri de
Camera similium in toto, vel in parte;

ac in una, seu pluribus vicibus, ac
etiam in mortis articulo cassare, et ex-
tinguere, ac postquam cassatæ, et ex-
tinguæ fuerint alias similes pensiones
annuas, seu fructus etc. huiusmodi us-
que ad summam præfatam centum du-
catorum uni, vel pluribus aliis perso-
nis, ecclesiasticis, vel etiam clericis
characterè tunc temporis nondum in-
signitis, cum clausula tamen ex tunc,
prout postquam dicto characterè rite in-
signiti fuerint, seu alias pensionum, seu
fructuum huiusmodi capacibus per eos-
dem conclavistas, et illorum singulos
nominandos, etiam quæcumque, quot-
cumque, et qualiacumque beneficia ec-
clesiastica obtinentibus, et expectanti-
bus similiter eis, quoad vixerint, vel
eorum procuratoribus legitimis, eisdem
modo, et forma, quibus eisdem con-
clavistis reservatæ, seu reservati erant,
etiam absque beneficiis huiusmodi ob-
tinentium consensu integre persolven-
das, et per eos propria auctoritate per-
cipiendas, exigendas, et levandas, aut
percipiendas, exigendas, et levandas,
reservare, constituere, concedere, et as-
signare possint, ita ut præfati transla-
rii in quasi possessione pensiones, seu
fructus etc. huiusmodi exigendi, in qua-
ipsi conclavistæ tempore translationis per
eos vigore presentium faciendæ existe-
bant, in omnibus, et per omnia sub-
rogati esse censeantur, concedimus, et
indulgemus, etiamsi similem gratiam
a romanis Pontificibus prædecessoribus
Nostris, alias forsitan obtinuerint, seu
quolibet eorum obtinuerint, tam vigore
aliorum privilegiorum conclavistarum,
quam ex quocumque alio indulto, et
privilegio, quorum effectum per hanc
novam gratiam, et concessionem quin-
pedire nolumus, sed cumulative con-
cessam, et concessas esse volumus, ita
ut quilibet eorum cumulative, et accu-
plative præfatis facultatibus presenti-
bus, et præteritis privilegiis hac in re
concessis uti, frui, et potiri possint.
Decernentes novas reservationes,
constitutiones, concessionem, assignationes,
et translationes pensionum, ac fru-
ctuum etc. huiusmodi, ut præfertur,
faciendas, ex nunc, et prout postquam fa-
ctæ fuerint plenam roboris firmitatem
obtinerent, ipsaque beneficia, super quo-
rum fructibus etc. aliisque huiusmodi
reservatæ fuerint obtinentes ad illas per-
solvendas efficaciter obligatos fore. Nec
non conclavistis præfatis, qui s. Jo-
annis Hierosolymitani, seu cujusvis alte-
rius militiæ, seu religionis regularis etiam
expresse professi sunt, ut etiamsi ab

Ampliatio in
non clericis
ut auctoritate

In collectis
sive aliis
in illis
aut per
consequitur
etiam
etiam

Cumulativa si-
milium gratia-
rum.

eorum conventu absentes existant, dummodo tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint, et consueta servitia præstiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac quarumvis pensionum, et commendarum eorum militiæ, seu religionis capaces existant, periade ac si in eadem militia, seu religione antianitatem de justitia consecuti fuissent, similiter indulgemus. Præterea eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur ex quocumque damnato, et illicito coitu, etiamsi ex nobilibus parentibus; et vilibus fœminis procreati existant, etiamsi alias legitimated existant, legitimated, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, et abolemus, ac legitimated natalibus restituimus, et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, et maternis, ac aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, vel fideicommissio, seu alias de jure valida dispositione, et præterquam in bonis ecclesiasticis, et ab Ecclesia provenientius succedere, et illa donationis, vel alio quovis titulo consequi, et habere, ac ad æquales portiones cum legitimated succedere eos ad omnia jura, legitimated successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates, restituendo realiter, et cum effectu, ac ad dignitates, honores, et quæcumque alia officia sæcularia publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, et exercere in omnibus, et per omnia, ac si de legitimated matrimonio procreati fuerint, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut clericali caractere, qui illo nondum insigniti sunt insigniri, ac ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines si nondum ad illos promoti sint promoveri, ac postmodum caractere, et ordinibus hujusmodi, ac illorum privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, et quacumque, et qualiacumque cura, et sine cura beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva in cathedralibus, et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ, ac canonicatus, et præbendæ, ac dignitates non tamen majores post pontificalem in cathedralibus, aut principales in collegiatis ecclesiis hujusmodi fuerint, si eis alias canonicè

Bull. Rom. Tom. IV.

conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur in iisdem recipere, et dummodo plura simul non sint, quam, quæ a concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint retinere libere, et licite valeant similiter dispensamus: ac omnes, et quoscumque defectus, si qui forsitan sint in omnibus, et quibuscumque provisionibus, ac permutationibus beneficiorum quorumcumque eorundem conclavistarum, tam ob multipliciter titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum etiam irregularitatis, et similiter in expeditionibus literarum apostolicarum super illis, quam alias ex quavis causa provenientes quoad præteritum tantum, ac sine præjudicio Juris alicui quæsiti, et dummodo non intercesserit simoniæ labe, nec aliqua lis desuper pendeat sanamus, ac provisiones hujusmodi vigore præsentium in utroque foro, perinde ac si novas provisiones obtinuissent revalidamus, et quatenus opus sit omnibus, et singulis eorum de omnibus, et singulis dignitatibus, et aliis cum cura, et sine cura beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, et nuncupatis etiam cujusvis ordinis regularibus per eos respective obtentis de novo etiam respective providemus, ac omnes, et singulas pensiones eis, et eorum singulis, super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, et nuncupatorum etiam alicujus ordinis regularium fructibus etc. ac etiam distributionibus quotidianis respective reservatas similiter de novo reservamus, ipsisque conclavistis, eorumque singulis, quoscumque fructus etc. ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatum, et præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, ac quarumcumque pensionum annuarum ipsis, et eorum cuilibet respective collatorum, et reservatarum tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus, et occasionibus etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum, vel eorum non promotionis ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines, vel non susceptionis gradus doctoratus indebite perceptos cujuscumque quantitatis fuerint gratiose remittimus et condonamus, ac cum eis super inhabilitate, et irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi legati missas, et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium celebraverint, aut alias in divinis se im-

Sanatio defectuum provisionum.

Remissio fructuum male perceptorum.

Absolutio ab irregularitate

Concessio antianitatis equitibus.

Legitimated oipuri.

Habilitatio ad successiones, honores, ordines, et beneficia.

miscuerint, quodque illa, et præmissis eisdem non obstantibus ad omnes etiam sacros, et præbyteratus ordines alias rite, et dummodo nullum aliud alicui eorum obstet canonicum impedimentum promoveri, et in illis, et in susceptis per eos alias rite ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare libere, et licite valeant dispensamus, quodque omnes, et quæcumque gratiæ, provisiones, commendæ, et quævis aliæ literæ apostolicæ provisionum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum hujusmodi, prout nostris familiaribus continuis commensalibus eisdem conclavistis, et eorum cuilibet gratis dentur, concedantur, et expediantur, ac etiam literæ ipsæ in forma brevis tam de capienda possessione nomine dictæ Camere apostolicæ, quam alias ut illis super provisionibus quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur, et expediantur, ac dari, concedi, et expediri omnino debeant etiam præcipimus, et mandamus, ac eisdem conclavistis, et eorum cuilibet, ut alia similia, vel dissimilia indulta, privilegia, facultates, et gratias hactenus eis, et eorum cuilibet per Nos, et romanos Pontifices prædecessores nostros, et Sedem præfatam concessa in suo robore, et firmitate cum præsentibus stare; ac illorum omnium, et singulorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus haberi volumus pro expressis, quam in posterum concedenda specialia, vel generalia, quibus per præsentibus, ac præsentibus per illa minime in aliquo præjudicare intendimus, ita ut quotcumque et qualiacumque fuerint unum alteri derogare non censeantur, sed eos, et eorum quemlibet illis simul, ac cum præsentibus prædictis cumulative, vel singulariter, prout eisdem conclavistis, et eorum cuilibet magis expediens videbitur frui, et gaudere posse decernimus, dummodo tamen præsentibus non adversentur similiter concedimus, et indulgemus. Postremo eosdem conclavistas, eorumque aliquem ad præsentem motum proprium, seu literas super præsentibus, si videbitur conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, et registrari petendum minime teneri, nec illum se villas etiamsi motus proprius, et literæ hujusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus, et registratus non fuerit, seu illæ insinuatæ, admissæ, seu registratæ non fuerint propterea minus validum, seu validas censerî, sed suos plenarios effe-

ctus sortiri debere: ac motum proprium, et literas hujusmodi, et in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent vel moderarentur, quæ a Nobis, et a dicta Sede pro tempore, et ex quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, ac divini cultus augmentum etiam consistorialiter, vel alia quavis auctoritate hactenus vel in posterum emanaverint, minime comprehensum, et comprehensas esse, sed quoties illæ emanabunt toties eum, et eas in pristinum statum restitutum, repositum, et plenarie reintegratum, et restitutas; repositas ac plenariæ reintegratas seu restituendum, reponendum, et plenarie reintegrandum, et restituendas, reponendas, et plenarie reintegrandas esse censerî; et insuper cum dilectus filius Annibal Carconi presbyter romanus ac perpetuus beneficiatus Innocentianus nuncupatus in basilica principis apostolorum de urbe tamquam dictorum conclavistarum procurator in præmissis sedulam pro eis operam navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum, et obsequiorum Nobis, et dictæ Sedi impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus, et gratiis prosequi eidem Annibali, licet ipse in conclavi prædicto non intervenit, nihilominus omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, et facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis præeminentiis, indultis, exemptionibus, cæterisque præmissis, non tamen quoad participationem decem millium scutorum aurei hujusmodi per Nos, ut supradictis conclavistis donatorum, et inter eos, ut præfertur, distributorum, seu distribuendorum, tamquam conclavista frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, perinde ac si conclavi hujusmodi vere, et realiter interfuisset, constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientia, et auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus, sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet in quavis instantia aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, irritumque etc. attentari. Et insuper venerabili fratri Henrico Benedicto Mariæ Clementi episcopo Tusculano, ac ejusdem S. R. E. vice-cancellario,

Comprehensio
procuratoris in
privilegiis.

Expeditiõ literarum apostolicarum gratis.

Confirmatiõ aliorum similium, vel dissimilium privilegiorum.

Exemptio ab insinuatiõne in Camera.

et literarum apostolicarum summatori, ac dilectis filiis Camerae apostolicæ ministris loco secretariorum apostolicorum suppressorum, præsidenti plumbi, aliisque officialibus, ad quos literarum præfatarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat, et pertinet sub pœna indignationis Nostræ motu simili, et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine pariter etiam mandamus, ut præfatas literas super prædictis omnibus, et singulis, tam conjunctim, quam separatim pro singulis, quibus concessa fuerunt, ac seorsim, et separatim cum omnibus, et quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis concessis, gratis etiam quoad compositionem in dataria Nostra, et per eandem viam secretam absque alio mandato expediant, et expediri faciant; insuper omnia, et singula privilegia, gratias, et concessiones ejusdem conclavistis, et eorum cuilibet a diversis summis romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris huc usque concessa, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus confirmamus, et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus: non obstantibus præmissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum non sit ventum, ac Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de præstando consensu in pensionibus, et fel. rec. Pii PP. IV. de similibus, et dissimilibus gratiis in dicta Camera infra tres menses præsentandis, et registrandis, ac Pii V. Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum contra illegitimos, nec non Pictavien. concilii, ac Nostris, et cancellariæ præfate regulis, etiam in crastinum dictæ assumptionis Nostræ ad summi apostolatus apicem editis, et in prædicta Cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, etiam s. Joannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romæ, ac aliarum civitatum, oppidorum, et terrarum camerae prædictæ, et quarumvis universitatum etiam juramento etc. roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, et novis reformationibus etiam legibus, tam pontificiis, quam imperialibus, regiis et ducalibus, et sacris canonibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac locis quibuscumque in genere, vel in

specie, ac cum quibusvis derogatoriis, ac cum quibusvis derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis; et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam vi contractus, et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, ac alias in contrarium concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus &c.; etiamsi de illis ec., eorumque tenores ec., illi aliasec. per mansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio L.

§. 2. Et cum absolute a censuris ad effectum ec. Et quod instantiæ etiam beneficiales conclavistarum, et ab eis subrogatæ hujusmodi, et dispensationes, ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, et in casibus regulæ de insordescensibus cum opportuna illius, nec non alterius regulæ de non tollendo jure quæsito, derogatione, et quorumcumque aliarum constitutionum apostolicarum, et conciliorum etiam generalium, et statutorum, et stabilimentorum, usuum naturarum constitutionum synodali, statutorum, et privilegiorum populi romani, et Cluniacen., Cisterciens. sancti Benedicti, sancti Augustini, et aliorum ordinum, et militiarum etiam sancti Joannis Hierosolymitani, et ecclesiis, et monasteriis civitatibus, et locis, et personis, et dominiis temporalibus, sub quibuscumque verborum formis, et cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et decretis etiam consistorialibus, etiam contra alienigenas, et alias personas certis modis non qualificatas, aut alias quomodolibet concessis, quorum tenores ec. latissime ac de verbo ad verbum, prout ipsis conclavistis magis placuerit, exprimi possit, etiam cum suspensione quorumcumque gratiarum, indultorum quibusvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia ecclesiastica, etiam reservata ad eorum collationem ec. pertinentia, et in omnibus, aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissime extendendis, ita ut omnia tollantur; et quod sola præsentis motus proprii Nostræ signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio, et extra illud regula quacumque contraria non obstante; et quod

Absolute a censuris, et derogatio omnium in contrarium facientium.

Clausula subblata, et decretum irritans

Expeditio gratuita, et per viam secretam

Derogationes.

præmissorum omnium et singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, et derogationum major, et verior specificatio, et expressio fieri possit in literis, si videbitur, in quibus singulorum conclavistarum nomina, et cognomina, qualitates, ordines, gradus, diæcesis, patria, et cætera requisita exprimi, et describi, seu pro expressis, et descriptis haberi possint, inter eos sacrista, et magistri coereemoniarum cappellæ Nostræ, nec non secretarius collegii eorundem Cardinalium, et cæteri alii in notula per ipsos magistros coereemoniarum facta, et descripta notati, et descripti, si alias ad pensiones, et beneficia hujusmodi habiles, et capaces fuerint comprehendantur, et adnotentur simul, vel ad partem etiam in una, non facta mentione de alia, vel aliis prout videbitur, expediens; volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum, seu præsentis motus proprii Nostri transumptis impressis, et sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, et etiam descriptis eadem fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis, seu præsentis motui proprio Nostro originali adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, aut exhibitus, vel ostensus foret.

FIAT L.

Datum Romæ apud sanctam Mariam
Majorem duodecimo kalendas Julii
anno primo.

IV.

Dat. die 21
Julii 1769.
Anno I.

Decretum editum a definitorio generali minoris ordinis sancti Francisci de observantia super privilegiis fruendis a missionariis degentibus in partibus Indiarum confirmatur.

Clemens Papa XIV.

Ad futuram rei memoriam

Proemium

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Ampuero, frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, ac præfectus, et commissarius missionum in regno Peruano, quod cum ipse alias a dilecto filio moderno ministro generali, et definitorio generali dicti ordinis petiisset, ut serio perpensis laboribus fratrum professorum ordinis hujusmodi, qui munus missionariorum in la-

diis exercent, quique tam propter longum iter terra, marique peragendum, tam ob parcitatem, ac etiam deficientiam victus in locis præcipue desertis, ac demum propter laboriosum ejusdem itineris genus, non sine gravi eorum incommodo illuc vitam ducunt, ipsi titulo prædicatorum generalium de jure nuncupatorum suarum respective provinciarum ordinis ejusmodi decorandi essent, ne alias post tot incommoda, et labores, sine ullo penitus honoris gradu ad proprios conventus redire cogantur.

§. 2. Idem minister, seu definitorio Tenor decreti
generale hujusmodi die ix. Julii MDCCLXVIII. decretum edidit, cuius tenor est, qui sequitur; videlicet = In hoc conventu sancti Francisci Matrivi die ix. Julii MDCCLXVIII. Rm̄us P. N. minister generalis frater Pasqualis de Varisio benigne annuens petitioni patrum missionariorum degentium in partibus Indiarum, et desederans promoveri magis, et magis hujusmodi sanctum ministerium, concedit privilegia prædicatorum generalium cum suis emolumentis, et gratiis, omnibus illis prædicatoribus, qui per quatuordecim annos inseruerint laudabiliter collegiis missionum, dummodo per sex annos perfecterint missiones uno quoque anno, sive inter fideles, sive inter infideles; quod debeat constare per literas testimoniales patris guardiani, et discretorum collegii, cui inservierint. Quibus literis præsentatis provinciæ respectivæ, præcipit reverendissimus, ut serventur ista, uti conformia legibus, et summorum Pontificum concessionibus. Id ipsum conceditur missionariis, qui degunt in conventibus. » Ita est, frater Joannes Baptista Galbis, secretarius generalis ordinis ».

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joseph decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, ac servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communiri summopere desideret. Nos ipsum Joseph specialibus favoribus, et gratiis, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pænis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decre-

Supplicatio
porrecta pro
obtinenda con-
firmatione de-
creti, quam
conceditur

tum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adjicimus.

§. 4. Decernentes, easdem præsentibus literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, subsque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quæcumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscunque iudices, ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his, a quæcumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alias roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxi. Junii MDCCLXIX. Pontificatus Nostri anno primo.



V.

Privilegia, et indulgentiæ concessæ sodalitati, et Confratribus regię societatis Alborum de Spiritu Sancto civitatis Neapolitanæ.

Dilectis filiis, ac dilectis in Christo filiabus confratribus, et consororibus regię societatis Alborum de Spiritu Sancto nuncupatorum sub invocatione sanctæ Mariæ Reginæ Sanctorum omnium civitatis Neapolitanæ.

Clemens PP. XIV.

Dilecti filii, ac dilectæ in Christo filiæ salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Nihil Nobis gratius, ac iucundius obvenire existimamus, quam cum accipimus, pias utriusque sexus christifidelium sodalitates, ubique terrarum erectas, iis pietatis, caritatisque operibus, et exercitationibus sedulam operam dare, quibus et ad propriam cuiusque sodalis æternam salutem consequendam, atque aliis christifidelibus procurandam excitantur. Quoniam autem, sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii eques Scipio Gigala, Joseph Persico, et Andreas Sabattoni moderari sodalitates vestræ superiores, sive gubernatores, sive officiales, ipsa vestra sodalitas summopere exoptat ut nos quoque non solum nostrum nomen eidem sodalitati adscribi patiamur, verum etiam caelestium munerum thesauros vris confratribus dumtaxat per fel. rec. prædecessores nostros Gregorium PP. XIII. et Clementem VIII. aliosque romanos Pontifices alias elargitos, ad dilectas in Christo filias ejusdem sodalitates consorores extendere dignemur.

§. 2. Nos itaque, quibus supremum sacrosancti apostolatus munus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositum, et totius Catholicæ Ecclesiæ cura demandata est, maximopere gaudentes piis vestrarum apud omnipotentem Deum, atque beatissimam virginem Mariam immaculatam obsecrationum suffragiis participes fieri, vestrisque optatis obsécundare, libenter annuimus Nostrum nomen eidem sodalitati vestræ dare, atque inter confratres numerari. Fore enim in Domino confidimus, ut suffragantibus meritis precibusque vestris, ea qua maiori potest sollicitudine, cura, et vigilantia ministerium

Dat. die 30. Junii 1769. Anno 1.

Laudatur erectio sodalitati.

Suum nomen sodalitati adjuncit

Præcipitur ipsius decreti observantia

Et omnibus in contrarium facientibus derogatur.

nostrum apostolicum adimplere valeamus.

§. 3. Præterea pari apostolica benignitate et auctoritate, quibuscumque in contrarium non obstantibus, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, pœnarumque relaxationes, quas viris confratribus vestræ sodalitatibus dumtaxat laudati prædecessores Nostri concesserunt, ad dilectas pariter in Christo filias consorores extendimus, hac tamen conditione, ut cum quælibet ex consororibus ea opera præstare, iisque exercitationibus interesse non poterit, et quibus confratres intersunt, et quæ præstare solent, recitans rosarium quinque decadam sanctissimæ virginis Mariæ, et illud pro maiori divini honoris cultu, sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, christianorum principum concordia, et sodalitatibus vestræ in christianis virtutibus incremento applicans easdem, quas confratres lucrantur indulgentias, peccatorum remissiones, pœnarumque relaxationes lucrari, et consequi possit. Interim ad cælestis præsidii auspiciam, et studiosæ Nostræ erga vos voluntatis pignus adjungimus apostolicam benedictionem, quam vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxx Julii MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri anno primo.

VI.

Concessio facta societatis Jesu, ut suos religiosos mittere valeat ad catholicam fidem prædicandam in partibus infidelium.

Clemens PP. XIV.

Universis christifidelibus præsentibus literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Cælestium munerum thesaurus, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum, et proximos charitate, et christianæ religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus; quo in genere cum societatis Jesu religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilectus filius Laurentius Ricci ejusdem societatis Jesu præpositus generalis ob

hanc causam hoc ipso, et consequantibus annis in diversas provincias christianæ reipublicæ mittere constituit.

§. 2. Nos sane eorundem religionum pietatem, et operam, eorundemque ad quos illi mittendi erunt, religionem ac devotionem spiritualibus gratis conferere, atque augere cupientes, ejusdem Laurentii præpositi generalis precibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, planque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis dictæ societatis religiosi mittendis (ubi tamen non erunt missionarii congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, Nostram, et apostolicam benedictionem per præsentibus impertimur; nec non iisdem verè penitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui pro sanctæ romanæ Ecclesiæ exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, ac hæresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, piæ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino auctoritate apostolica tenore præsentium pro una vice dumtaxat pro unaquaque missione concedimus, et largimur.

§. 3. Hortantes venerabiles fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, et alios ecclesiarum prælatos, et rectores, ac verbi Dei prædicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentibus literas, ac omnia in eis contenta publicent, ac publicari faciant, et omnem iisdem religiosi favorem, et auxilium in præmissis præsentent. Volamus autem quod præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici, sen dictæ societatis secretarii subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, seu præpositi generalis ejusdem societatis obsignatis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xii. Julii MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri anno primo.

Facultas expostulata, concessitur, exceptis tamen locis, in quibus adsunt missionarii de Propaganda Fide

in Bulla et in præsentibus litteris

Hortantur episcopi, alique ecclesiarum rectores, ut literas publicare faciant, et auxilium religiosi præsentent

Et indulgentias nonnullas impertitur, etiam ex peculiari privilegio ab eis lucrandas, qui justis de causis exercitiis confraternitatis interesse requiverint

Dat. die 12 Julii 1769. Anno I.

Expositio præsentium porrectarum.

VII.

Dat. die 20.
Julii 1769.
Anno I.

Privilegia, exemptiones, et indulta concessa dapiferis in conclavi inservientibus.

Clemens Papa XIV.

Urbis

Motui proprio etc. Nos volentes dilectos filios Nostros, dum Cardinalatus honore fungebamur, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique ea de causa labores, vigiliis, et incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis et privilegiis pro cujusque meritis exornare, ac eosdem dapiferos, et eorum singulos motu proprio non ad ipsorum dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de mera liberalitate, certa que scientia Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine in veros, indubitatos, et non fictos familiares, continuos commensales Nostros, et eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiæ clericali adscribi desiderant, quosque tres ex præfatis Cardinalibus, in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate, et aliis meritis, dignos tali dignitate judicaverint in Nostros, et apostolicæ Sedis notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium tenore præsentium recipimus, et tam illos, quam alios dapiferos singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint sacri palatii, et aulæ Lateranensis comites, et milites, ac tam illos quam alios omnes quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt nobiles, quique urbis, vel cujusvis alterius ex civitatibus temporali dominio dictæ romanæ ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, cives esse voluerint, singulos in ea ipsa civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros cives, ad instar, et nulla prorsus differentia, inter eos, et singulos alios veros, originarios, et antiquissimos, et nobiles participantes, cives ipsius urbis, vel civitatis; ita ut ipsum jus civilitatis ad quoscumque eorum hæ-

redes eodem modo transeat creamus, constituimus, et deputamus, ac nobilitatis, et civilitatis titulo, et honore, et insigniis decoramus; aliorumque familiarium continuorum commensalium, Nobis actu in palatio Nostro apostolico servientium, et in illius tinello comedentium, et bibentium, ac Nostrorum, et Sedi apostolicæ notariorum, palatiique, et aulæ præfatæ comitum, militum, et nobilium, et civium hujusmodi originariorum numero, et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, indubitatis, et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis Nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque, ac civibus deinceps haberi, et reputari volumus, et mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus, ac concessionibus, et literis tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtım concernentibus, se familiares, continuos commensales Nostros et comites, milites, nobiles, ac cives, et originarios nominari; nec propterea impetrationes, concessionem, et literæ ipsæ subreptionis vitio subiaceant, sed validæ, et efficaces existant, ac ex nunc deinceps, et in perpetuum omnibus, et quibuscumque prorsus similibus antelationibus antelationum, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, et declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii Nostri familiares tempore dictæ assumptionis Nostræ ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiam si habitum, et rocchetto notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique, et aulæ prædictæ comites, et milites, ac nobiles etiam originarii, et antiquissimi cives ejusdem urbis, vel civitatis, quam, ut præfertur, elegerint, quicumque ex utroque parente vere nobili, et cive originario, et antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias etiam per quascumque literas, seu constitutiones apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant realiter, et integre in omnibus, et per omnia, etiamsi in ur-

Receptio in familiares.

In notarios.

Creatio in comites, milites, et nobiles.

Electio civilitatis.

Etiam pro hæreditibus.

Exemptio ab
habitatione in
civitate.

A gabellis, et
decimis, aliis-
que oneribus.

Remissio fru-
ctuum male
perceptorum.

Legitimatio
spurii.

be, et civitate hujusmodi non habitave-
rint, perinde ac si de vero nobili gene-
re ex utroque parente origiuario, et an-
tiquissimo cive procreati forent, et hu-
jusmodi prærogativæ, privilegia, exem-
ptiones, gratiæ, favores, concessiones,
indulta, et jura, quæ pro aliis nobili-
bus, et civibus originariis emanarunt,
et quæ ratione nobilitatis, et civilitatis
naturalis, et originariæ aliis competunt
pro eisdem dapiferis in specie emanas-
sent, seu emanarent, et eis naturaliter
de jure, statuto, consuetudine, funda-
tione, vel alias competere vigore præ-
sentium indulgemus; ac singulos dapi-
feros præfatos a solutione, et exactione
decimarum ecclesiasticarum, ubique lo-
corum, et ex quacumque quantumvis
urgentissima, et inexcogitabili causa,
et occasione, etiam ad instantiam im-
peratoris, regum, et rerumpublicarum
etiam venetorum, et quorumcumque
aliorum principum impositarum, et
pro tempore imponendarum liberamus,
et eximimus, liberosque et exemptos
fore, et esse decernimus; nec non ip-
sis dapiferis, eorumque singulis, quos-
cumque fructus, et proventus ecclesia-
sticos, tam occasione pensionum annua-
rum ipsis, vel eorum alicui reservata-
rum, quam ratione omissionis recita-
tionis horarum canonicarum indebite
perceptos, cujuscumque quantitatis fue-
rint, gratiose remittimus, et condona-
mus, ac cum eis super inhabilitate per
eos, propterea quomodolibet contracti,
vel etiam ex eo, quod censuris ligati,
missas, et alia divina officia, non ta-
men in contemptum clavium celebrave-
rint, aut alias in divinis se immiscue-
rint, ut illa, et eisdem præmissis non
obstantibus ad omnes, etiam, sacros,
et præbyteratus ordines, alias tamen,
rite promoveri, et in illis etiam susce-
ptis alias rite per eos ordinibus, etiam
in altaris ministerio, ministrare, etiam
libere, et licite valeant dispensamus;
ac eosdem dapiferos, si qui eorum de-
fectum natalium patiantur ex quocum-
que damnato, et illicito coitu, etiamsi
ex nobilissimis parentibus, et vilibus
fœminis forsitan procreati sint, etiamsi
legitimati alias existant, legitimamus,
omnemque ab illis genituræ hujusmo-
di maculam, sive notam abstergimus,
et abolemus, ac legitimis natalibus re-
stituimus, ac cum eorum singulis, ut in
quibuscumque bonis paternis, et ma-
ternis, et aliorum consanguineorum,
seu cognatorum, vel aliorum quorum-
cumque, non tamen phæudalibus, et
emphyteuticis, aut ecclesiasticis, vel

ab ecclesia acquisitis, ac sine præju-
dicio venientium ab intestato, vel ex
fideicommisso, seu alias de jure valida
dispositione succedere, et illa donatio-
nis, seu alio quovis titulo consequi, et
habere, ac ad æquales portiones cum
legitimis succedere eos ad omnia jura
legitima, et successiones ex testamen-
to, vel ab intestato hæreditates, legata,
libertates restituendo, et reintegrando
realiter, et cum effectu, necnon ad di-
gnitates, honores, et quæcumque alia
officia sæcularia publica, vel privata,
etiam assumi, illaque gerere, et exer-
cere in omnibus, et per omnia, ac si
de legitimo matrimonio procreati forent,
ac eodem defectu non obstat,
si aliud canonicum eis non obsistat im-
pedimentum, ac clericali characterem,
qui illo nondum insigniti sunt insigniri,
ac ad omnes etiam sacros, et præ-
byteratus ordines si ad illos nondum
promoti sunt promoveri, ac postmodum
characterem, et ordinibus hujusmodi, illo-
rumque privilegiis uti, ac in eisdem
ordinibus, etiam in altaris ministerio
ministrare, et quæcumque, et qualia-
cumque cum cura, et sine cura benefi-
cia ecclesiastica, etiamsi personatus,
administrationes, et officia etiam cura-
ta, et electiva in cathedralibus, et me-
tropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu
si parochiales ecclesiæ, vel earum per-
petuæ vicariæ, ac canonicatus, et præ-
bendæ, non tamen in cathedralibus, ac
dignitates, non tamen in eisdem cathe-
dralibus post pontificalem, majores,
nec principales in collegiatis ecclesiis hu-
jusmodi fuerint, si sibi alias canonicè
conferantur, aut ipsi eligantur, præsen-
tentur, vel alias assumantur ad illa, et
instituantur, in illis recipere, et dum-
modo plura simul non sint, quam-
que a concilio Tridentino permittuntur,
quoad vixerint retinere libere, et
licite valeant similiter dispensamus;
quodque omnes, et quæcumque gratiæ,
provisiones, commendæ, ac præsentès,
et quævis aliæ literæ apostolicæ, ac etiam
in forma Brevis pro illis expediendæ,
gratis ubique expédiantur, tam de ca-
pienda possessione nomine Cameræ apo-
stolicæ, quam in favorem literarum apo-
stolicarum, ubi illis super provisioni-
bus quorumcumque beneficiorum ec-
clesiasticorum dari poterunt, prout No-
stris familiaribus, et continuis commen-
salibus, etiam gratis dantur, concedun-
tur, etiam dari, et concedi debeant
præcipimus, et mandamus; ac dapife-
ris præfatis, et eorum singulis, ut qui-
cumque loci Ordinarii, vel canonici me-

Habilitatis ad
successiones,
honores, ordi-
nes, et bene-
ficia.

Expositio lita-
rarum aposto-
licarum gratis.

tropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum, aut personarum quaecumque ecclesiasticarum in dignitate ecclesiastica constitutarum tam in romana curia, quam extra eam ad id per eos, et eorum singulos eligendi, seu eligendae quascumque pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis certis, et incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensarum episcopaliarum, archiepiscopaliarum, et abbatialium, et dignitatum, et canonicatum, et praebendarum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum, et in posterum obtinendorum cum cura, et sine cura saecularium, et quorumvis ordinum regularium, seu fructus, redditus, et proventus, aliaque emolumenta, et distributiones huiusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiamsi alias semel, vel pluries translatae, seu translatae fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto, vel parte, ac etiam in mortis articulo casare, et extinguere, ac postquam casatae, et extinctae fuerint alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, et proventus, et alia emolumenta, et distributiones huiusmodi usque ad summam praefatam uni, vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos, et eorum singulos nominandis quotcumque, quaecumque, et qualicumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus alias tamen pensionum huiusmodi capacibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo, et forma, quibus eisdem dapiferis reservatae, seu reservati erant, etiam absque beneficiis huiusmodi obtinentium consensu integre persolvendas, seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, et levandos, reservare, constituere, et assignare valeant, ipsique translatae in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus, et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, et indulgemus, etiamsi similem gratiam a praedecessoribus Nostris, alias forsitan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectum cumulative eos gaudere, et potiri volumus; decernentes ipsas translationes, et novas reservationes, constitutiones, et assignationes pensionum

seu fructuum, reddituum, et proventuum, aliorumque huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus redditibus, et proventus reservatae fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem dapiferis, ut ratione quarumcumque pensionum eis, et eorum cuilibet, super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet nunc, et pro tempore reservatarum, et reservandarum habitum, et tonsuram clericales gestare, et in illis dummodo ipsi habitum decentem, et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum incurrere possint, ipsasque pensiones ad praefatam summam ducentorum ducatorum ascendentes, et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint, cum unica tantum, et virgine recipere, et retinere; postremo quod bona quaecumque ad dictos dapiferos, et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quarumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatum, et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum, et obtinendorum, aut alias quomodolibet, et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen, et licite acquisita, et acquirenda etiam in urbe, ejusque districtu, et ubicumque existentia spoliis minime subiaceant, sed ipsi dapiferi etiamsi religioni alicujus militiae etiam s. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiam si curiales esse desierint, et in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit testari, et alias disponere, eisque ab intestato decedentibus, eorum haereditas quicumque succedere libere, et licite valeant, simili modo concedimus, et indulgemus; praecipientes, et mandantes dilectis filiis nunc, et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus clericis Camerae Nostrae apostolicae, ac quibuscumque aliis spoliarum huiusmodi collectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus, aut procuratoribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haereditas dictorum dapiferorum desuper molestare

Facultas transferendi Pensiones usque ad summam 100 ducatorum.

Facultas concessa etiam equitibus cuiuscumque militiae retinendi pensiones ad summam ducatorum 200

Absque necessitate deferendi habitum, et tonsuram clericalem.

Exemptio a spoliis cum facultatibus testandi

Cumulativa similitum gratiarum.

audeant, seu præsument; ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis huiusmodi servatis de jure servandis, faciendas semper, et perpetuo validas, et efficaces fore; nec eosdem dapiferos, eorumque aliquem ad literas super præsensibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, et registrari faciendum, teneri, nec illas, etiam si infra tempus legitimum insinuatæ, admissæ, seu registratæ non fuerint, propterea minus validas censi, seu suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, et in eis contenta quæcumque sub quibusvis limitationibus, revocationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ a Nobis, et dicta Sede pro tempore, et de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel in posterum emanaverint, minime comprehendi, seu quoties illæ emanabunt toties in pristinum statum repositas, et reintegratas esse, et censi; sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes in quavis causa, et instantia sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate ubique iudicari, et definiiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, et insuper dilectis filiis rescribendario, et computatori collegii scriptorum literarum apostolicarum, aliisque, ad quos earundem literarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna indignationis Nostræ motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentes, et forsitan alias literas super præmissis omnibus, tam conjunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis contentis, gratis de mandato Nostro, ubique in omnibus officiis, etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum plumbi, et registri, absque alia pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis facienda omni contradictione, et dilatione cessantibus signent, expédiant, et expédiri faciant; non obstantibus eisdem præmissis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illum non sit de-

Exemptio ob
insinuatione
in Camera.

Clausula sub-
lata, et de-
cretum irritans

ventum, quibus alias per præsentes non intendimus derogare, ac regula Nostra de præstando consensu in pensionibus, ac fel. rec. Pii PP. IV. prædecessoris Nostri de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera apostolica, infra tres menses præsentandis, et registrandis, ac Pii PP. V. etiam prædecessoris Nostri contra illegitimos, ac Pictavien. concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, monasteriorum, ecclesiarum, ordinum, etiam s. Joannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romæ, et aliarum civitatum, oppidorum, et terrarum, aut Cameræ præfate, ac quarumvis universitatum etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stabilimentis, usibus, et naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam pontificiis, quam imperialibus, regiis, et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, ac personis, et locis quibuscumque in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis etiam vim contractus, et statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac alias forsitan in contrarium quomodolibet concessis; approbatis, et innovatis, inter alia disponentibus, quod beneficia urbis, non nisi personis certis modo, et forma qualificatis, et oriundis exceptis locis, ac trium ordinum militarium expresse professis conferri, et commendari soleant, quibus omnibus etiam si alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie, motu pariter derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Derogationes.

Fiat motu proprio L.

Absolutio a censuris, et derogatio omnium in contrarium facientium.

§. 2. Et cum absolute a censuris ad effectum etc. et in casibus regulæ de insordescensibus cum opportuna illius, nec non alterius regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis, et opportunis derogationibus, quatenus opus sit, et quod indulgentiarum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmissorum omnium, et singulorum major, et verior specificatio, et expressio fieri posset in literis, in quibus singulorum dapiferorum nomina, et cognomina, ordines, qualitates, gradus, diæceses, patria, et alia requisita exprimi, et describi, seu pro expressis, et descriptis haberi possint juxta notulam per ipsos, seu eorum deputatos confectam, simul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis prout videbitur expedire, et expedien, etc. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis etiam impressis, et sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, et subscriptis eadem fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; volumus præterea, quod sola præsentis motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra illud regula quacumque contraria non obstante.

FIAT L.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem quinto idus Julii anno primo.

VIII.

Deputatio alterius pœnitentiarii Hispanici in ecclesia sanctæ domus Lauretanæ pœnitentiariorum declaratur reservata beneplacito Sedis apostolicæ.

Dilecto filio Paschali Falcon ordinis minorum sancti Francisci de observantia Excalceatorum nuncupat. professori.

Clemens PP. XIV.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Christifidelium frequentia, qua ipsi devotionis causa ad ecclesiam sacræ Domus Lauretanæ undique con-

fluunt, postulat, ac promeretur, ut in iis, quæ ad eorum animarum salutem pertinent, uberiores in dies apostolicæ benignitatis, auctoritatisque partes interponere non omitamus, prout in Domino conspicimus expedire. Dudum siquidem in eadem ecclesia pœnitentiariorum numerus ex viris variis linguis loquentibus, et ad audiendas confessiones christifidelium omnium illuc venientium deputatis auctoritate apostolica constitutus, præscriptusque fuit.

§. 2. Inter vero pœnitentiariorum hujusmodi, sicut nuper accepimus, nunc qui Hispanicam linguam calleret tantummodo existit: ut igitur omnes ii, qui ex longinquis Hispanicis regnis difficile, ac diuturnum iter ad ecclesiam prædictam arripiunt, sua peccata confiteri, et absolutionis gratiam ab eorum reatibus, et excessibus assequi valeant, alium quoque virum doctrina, ac probitate præstantem in Hispanico regno progenitum, et propterea Hispanicam linguam callentem in pœnitentiarium hujusmodi ecclesiæ constituere quoque decernimus, atque statuimus.

§. 3. Quocirca ad te, qui frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de observantia Excalceatorum nuncupatorum existis, et de cuius doctrina, probitate, religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habemus, aciem Nostræ mentis direximus, ac te specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine in unum ex pœnitentiariis ecclesiæ prædictæ ad Nostrum, et Sedis apostolicæ beneplacitum eligimus, constituimus, et deputamus; tibi quoque jus, et facultatem, servatis cæteroquin de jure servandis, absolvendi quoscumque christifideles vere pœnitentes, et confessos ab omnibus eorum reatibus, excessibus, ac ecclesiasticis pœnis, cæteris ejusdem ecclesiæ pœnitentiariis alias a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris per suas sive sub plumbo, aut in simili forma brevis expeditas literas, sive per edicta, aut rescripta officii Pœnitentiariæ apostolicæ, aut alias quomodolibet quancumque, et qualitercumque concessa, tributa, et elargita, cum omnibus

ecclesiam sacræ domus Lauretanæ memoratur, et necessitas exponitur inveniendi in ea pœnitentiariorum, qui sacras confessiones audiant.

Unum pœnitentiarium non sufficere declaratur, qui Hispanicam linguam calleret.

Alter propterea eligitur, qui sit amovibilis ad nutum s. Sedis

Dat. die 29. Julii 1769. Anno I.

Quæ sit frequentia christifidelium confluentium ad

reliquorum poenitentiariorum ecclesiae hujusmodi privilegiis, prærogativis, gratiis, et indultis, nec non cum facultate retinendi virgam, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concedimus, tribuimus, et imperitumur.

Præcipitur, ut electus ab omnibus pro vero poenitentiariorum habeatur, cum singulis privilegiis, quibus alii fruuntur.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, ut te præsentis gratiæ commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, ac faciant, nec te desuper a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter molestari, perturbari, aut inquietari permittant, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis omnibus derogatur.

§. 5. Non obstantibus præmissis, et quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quorumcumque ordinum, congregationum, institutorum et societatum etiam Jesu, ac dictæ ecclesiae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac eum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentium pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ab verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxix. julii mdcclxix. pontificatus Nostri anno primo.



IX.

Dat. die 19.
Augusti 1769.
Anno I.

Commissio Nuncio apostolico Helvetiarum super approbatione, et confirmatione concordiæ ab episcopo, et capitulo ecclesiae Basiliens. initæ quoad jurisdictionem in territoriis trium pagorum ad ecclesiam Basiliensem spectantium.

Venerabili fratri Aloisio archiepiscopo Cæsariens. Nostro, et apostolicæ Sedis in dominio Helvetiorum, et Rethorum Nuntio.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **R**atio pastoralis officii, quod auctore Domino gerimus, exigit, ac postulat, ut ad ea sollicitis etiam studiis intendamus, per quæ tranquillitati, ac quieti christifidelium ubique existentium, ut ferventius ipsi Deo inservire valeant, opportune consulitur, atque idcirco quæ ad eorum pacem, tranquillitatemque firmandam provide constituta fuisse noscuntur, apostolici muniminis Nostri præsidio libenter constabilimus, prout omnibus mature perpensis, in Domino conspiciamus expedire.

Proemium

§. 2. Sane pro parte tua Nobis nuper expositum fuit, quod cum jamdudum in tribus pagis Schliengen, Mauchen, et Steinenstatt nuncupatis pro tempore existentes episcopi Basiliensis jurisdictionem intra pagos ipsos utpote ad Basiliensem Ecclesiam spectantes exercuerint, extra vero hujusmodi pagorum mænia, seu domos, et in eorum territoriis alii jurisdictionem sibi competere assensissent, ex hoc tam proximo, ac fere promiscuo jurisdictionis exercitio antiquæ dudum, ac frequentissimæ ortæ fuerant, et in dies oriebantur lites, ac controversiæ in maximum pacis, ac quietis incolarum ejusmodi pagorum damnum, et præjudicium. Quo circa venerabilis frater Simon Nicolaus modernus episcopus Basileen eo quo pollet studio publicæ tranquillitatis, ac quietis christifidelium sæ curæ creditorum omnium litium, et controversiarum hujusmodi causas penitus amovere, ac adimere, remque totam ope concordiæ, ac transactionis componere curavit.

Expositio
precum

Status initæ
concordiæ ex-
ponitur

§. 3. Post diuturnam igitur jarium hujusmodi disquisitionem ab iis, qui ex utraque parte deputati fuerant serio habitam, die tandem x. junii currentis anni MDCCLXIX. res ad optatum exitum perducta, atque concordia, et transactio in oppido civitate nuncupat. Carloruhe Basileen, seu alterius diæcesis inita fuit. In hac autem concordia, seu transactione præ cæteris omnia jura in territoriis trium pagorum prædictorum in eundem Simonem Nicolaum episcopum, illiusque in episcopatu prædicto successores translata amplissime fuerunt, declarando insuper, quod mancipia habentia fixas sedes in locis ad ipsum episcopum pertinentibus ad eum spectare deberent; e contra vero præfatus episcopus transitum pro militariibus, et aliis quibuscumque copiis per territorium, ac pagum ipsum Schliengen prædictum, una cum jure inquirendi, fodiendi, et lavandi ferra mineralia, sub certis conditionibus et pactis concessit, et nonnullorum domorum, fundorum, hortorum, sylvarum, decimarum, censuum, et reddituum in concordia præfata designatorum una cum eorum juribus, et oneribus suo, ejusque in episcopatu successorum nomine cessionem peregit, certamque speltæ, ac lignorum quantitatem præstare eodem nomine promisit, aliis etiam additis pactis, et conventionibus, prout in dicta concordia, seu transactione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, insertis haberi volumus, uberius continetur.

Concordia
apostolica au-
toritate robo-
ratur.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dilecti filii capitulum, et canonici præfate ecclesiæ Basileen hujusmodi concordiam, et transactionem collaudaverint, eique suum assensum unanimi voto præbuerint, et tam idem Simon Nicolaus episcopus, quam prædicti capitulum, et canonici concordiam, seu transactionem hanc per Nos approbari, et confirmari plurimum desiderent. Nos ejusdem Simonis Nicolai episcopi zelum, prudentiam, ac in procuranda sibi commissi gregis tranquillitate, et in juribus suæ ecclesiæ vindicandis, promovendisque singularem fidem, ac diligentiam plurimum in Domino commendantes, ipsius, et dictorum capituli, et canonicorum votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacum-

que de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolves, et absolutas fore censentes, serio prius ejusdem transactionis, seu concordie tenore perpenso, consideratisque omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus ut concordiam, seu transactionem hujusmodi die x. junii currentis anni, ut præfertur, initam, una cum omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium approbes, et confirmes, omnesque, ac singulos juris, et facti, ac solemnitatum etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, auctoritate, et tenore prædictis sanes, ac suppleas. Volumus autem, quod in decreto hujusmodi approbationis, confirmationis, et sanationis vigore præsentium per te, ut præfertur, edendo ejusdem transactionis tenorem inseras, et apponas.

§. 5. Decernentes ipsas præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; illisque, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ Nuncios judicari, et definire debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sub-
blata, et decre-
tum irritans.

§. 6. Non obstantibus felicis recordationis Pauli PP. II. prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dietæ Ecclesiæ, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et

Derogatur
omnibus in-
contrarium fa-
cientibus.

innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentium pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

X.

Dat. die 9
Septem. 1769.
Anno 1.

Potestas conferendi canonicatos archiepiscopo Moguntino conceditur certis sub conditionibus, et reservationibus.

Venerabili fratri Emerico Josepho archiepiscopo Moguntino S. R. I. principi electori.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Quomodo gratiæ a Pontifice sint concedendæ, absque aliorum detrimento declaratur

§. 1. **E**t si valde ad gratificandum omnibus propensi simus, tamen maxime cavemus, ne exinde incommodum aliis aliquod, ac iusta de Nobis querendi causa possit existere. Idcirco nunc has ad te, venerabilis frater, literas mittimus, ut, cum tibi nuper in Wormatiensi tuæ fidei commisso episcopatu, ac diœcesi potestatem concessissemus conferendi omnes canonicatus, ceteraque beneficia ibidem vacatura, quorum nostra esset collatio, intelligere possis intra quos limites eadem potestas a Nobis ad te transmissa contineri debeat, ne fortasse plus tecum, quam par æquumque sit, cum alterius damno fuisse videamur,

Quid de hac collatione canonicatum senserint Benedictus XIV. et Clem. XIII. exponitur

§. 2. Sacræ enim mem. Benedictus XIV. prædecessor Noster suæ æquitatis, ac sapientiæ esse indicavit, sibi sanctæque huic Sedi hanc legem imponere, ut in collatione canonicatum, cæterorumque beneficiorum, quæ in civitate, ac diœcesi Wormatiensi sunt, Palatini subditi habiles, atque idonei extraneis, ac non subditis præferrentur. Id ipsum postea sac. mem. Clemens XIII. itidem prædecessor Noster confirmavit, et cum archiepiscopo Trevirensi S. R. I. principi electori, ad quem Wormatiens-

sis episcopatus administratio delata tum fuit, indulgisset, ut ab ipso canonicatus et beneficia in ea civitate, ac diœcesi pontificiis mensibus vacatura conferri possent, certiore per peculiare literas fieri eorundem archiepiscopum voluit quis illorum collationis usus esse deberet, ne scilicet subditos palatinos idoneos præ extraneis, ac non subditis præteriri contingeret.

§. 3. Nunc cum Nos Wormatiensi episcopatu auctam fraternitatem tuam eodem etiam indulto, quo antea Trevirensis gavisus est, frui nostra benignitate voluerimus, peculiaribus hisce literis notum facimus tibi, Nos ab ea lege nequaquam recessisse, sed cum ejusmodi onere, quo hæc sancta Sedes teneri voluit, illam collationum in te facultatem transmisisse, nimirum ut quotiescunque canonicatum, aliorumque beneficiorum in Wormatiensi civitate, ac diœcesi pontificiis mensibus vacatio contingerit, eorundem per te nostri vice conferendorum illam legem retineas, qua Nosmetipsi uteremur, subditorum palatinorum, qui habiles sint, præ exteris et non subditis, ut jam diximus, omnino rationem habituri. Quod Nos quidem dum ad te perscribimus, ea forma, tenore, ac valore intelligimus, quo Clemens XIII. prædecessor Noster, cum ad superius memoratum Trevirensis de hac re prescriberet, intellexit.

Et novam concessionem accipiendam esse ad tramites veterum rescriptorum declaratur

§. 4. Hæc sunt, quæ te, venerabilis frater, ex Nobis scire necesse esse duximus, ne jam suscepta in ista Wormatiensi civitate ac diœcesi conferendorum beneficiorum norma perturbaretur; minime enim dubitamus, quin libentissime laturus sis concessam tibi a Nobis gratiam ejusdem æquitatis finibus contineri. Demum persuasum esse tibi magno opere cupimus ubiores etiam nostræ in te benevolentiae fructus tibi semper pro opportunitate præsto futuros, ac in hujus pontificiæ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, etc. die nona septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno primo.

Ne beneficiorum conferendorum norma perturbetur ab concessionem minime esse recedendum præcipitur.



XI.

De reditu principis Wilhelmi palatini ad Catholicam ecclesiam Pontifex lætatur.

Dilecto filio nobili viro Carolo Theodoro duci Sultzbacensi comiti Palatino Rheni S. R. I. principi electori.

Clemens PP. XIV.

Dilecte fili nobilis vir salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**x quo ad summi pontificatus dignitatem eVecti fuimus, nullus Nobis lætior neque jucundior illuxit dies, quam quo nuper optatissimus nuncius de dilecti filii nobilis viri Wilhelmi principis palatini ad catholicam ecclesiam reditu, et ab ipsius principis literis, et a dilecto filio marchione Anticio nobilitatis tuæ ministro plenipotentiariorum ad Nos fuit delatus. Lætitiæ a Nobis ea causa susceptæ magnitudinem neque inclusam, tacito animi sensu contingere possumus, neque habemus quicum convenientius ac libentius, quam cum nobilitate tua communicemus. Te enim præcipuum egregii consilii auctorem, et suasorem principi extitisse, et te adjutorem, ducem, ac comitem divini perficiendi operis fuisse præclare novimus. Quapropter gaudii nostri per sapientiam tuam, summumque in catholicam fidem studium percepti vim, ac copiam tecum præsertim dividimus, tibi mirum in modum gratulamur, ac de tam singulari tuo in Nos, et ecclesiam universam merito gratias quas maximas possumus et reddimus, et habemus.

§. 2. Existimare sane debes nihil ea re ad veram, ad solidam gloriam comparandam majus a te fieri potuisse, nisi ad decus inclite palatinæ domus illustrius, nihil denique, quo de catholica religione melius mereri posses. Ac magna Nobis spes inest Deum optimum maximum cum tua operâ hoc beneficio suam ecclesiam ornâverit, divinæ gratiæ ubertatem, alio simili munere per te etiam amplificaturum, nosque de cumulatiore industriæ tuæ fructu in hujus principis palatini fratre pariter ad ecclesiæ veritatem, reducendo gavisuros. Hos tibi eximios successus ex animo cupimus, iisque nostri pontificatus tempora illustrari vehementer optamus, atque a misericordiarum patre flagitamus.

Bull. Rom. Tom. IV.

Qua de re quidem te prolixius cohortari supervacaneum ducimus, cum eo studio mirifice te esse incensum competentissimum habeamus.

§. 3. Post hæc singularia tua in Nos ecclesiamque merita facile perspicis quo animo in te simus, quantaque te caritatis magnitudine prosequamur, cujus vim declarare magis non possumus, quam apostolica benedictione, quam tibi, dilecte fili, nobilis vir, peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die nona septembris millesimo septingentesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Quanta propterea cum prosequatur charitate Pontifex commemorat.

XII.

Jubilæum pro universis, et singulis christifidelibus in alma urbe degentibus ad implorandum divina auxilium initio pontificatus pro salutari sanctæ Ecclesiæ catholicæ regimine.

Clemens Papa XIV.

Universis christifidelibus præsentibus literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **I**nscribuntur divini sapientiæ, atque bonitatis consilio ad supremum apostolatus fastigium, nullo meritorum suffragio eVecti, dum divina agnoscerimus dona, simul et formidamus judicium quoties enim mentis nostræ oculis creditam nunquam serio contuemur, toties oneris gravitas Nos terret, ac vitium nostrarum infirmitatis conscientia conturbat, et crebra ex animo corde suspiria, ac uberes ex oculis lacrymas fundentes toti contremiscimus, ita ut nisi ejus auxilium, qui nostris humeris tantum pondus imposuit, Nobis adfuturum consideremus, animo plane concideremus. Ceteri igitur nostri, populi que romanæ in hac alma urbe Nostra commemorantis opem primum imploramus (ceteros christiani orbis fideles literis Nostri ad hoc ipsum opportuno tempore excitaturi) ut concordibus votis, ac publicis ferventioribus præcationibus, supplicationibus, jejniis, et elemosynis, aliisque pietatis operibus divinam invocemus misericordiam, qua clementissimus Dominus confirmet, quod operatus est in Nobis, repleatque Nos agnitione voluntatis suæ, effundens super

Dat. die 11. Sept. 1769. Anno 1.

Proemium

Nos spiritum sapientiæ, et intellectus, spiritum scientiæ, et pietatis, spiritum consilii, et fortitudinis, ut inter tot rerum difficultates agnoscamus, quæ agenda sunt, oculisque semper in Deum intentis, quæ recta sunt, salubriter perficiamus. Rogemus magnum patrem familias, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, suumque populum per viam mandatorum ejus ambulantem gratiæ suæ donis in hac peregrinatione confoveat, et ad propositum æternæ beatitudinis præmium feliciter perducat. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, maioriq[ue] fructu peragantur, priscum Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum morem sequuti coelestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei Nostræ commissa est, proximis diebus, quibus catholica Ecclesia sacras quatuor temporum observationes annua recolat devotione, pro felici Nostri pontificatus initio erogare decrevimus.

Quid pro consequendo Jubilæo præstandum esset a christifidelibus in urbe degentibus exponitur

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma urbe nostra prædicta degentibus, qui sollemni processioni, quam dominica decima octava post Pentecosten, die videlicet decima septima currentis mensis septembris ab ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad basilicam sanctæ M. Majoris nuncup. de eadem urbe una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, quos in romana curia adesse contigerit, ac christianorum regum, et principum oratoribus apud Nos existentibus, prælatis quoque, et officialibus ejusdem curiæ, universoque clero, et populo, benediciente Domino, agemus, devote interfuerint, vel sancti Joannis in Laterano, Principis apostolorum, et sanctæ Mariæ Majoris præfatæ ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam intra decursum quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a prædicta dominica decima octava post Pentecosten incipien. saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote ut supra Deum oraverint, ac quarta, et sexta feriis, et sabato. alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum dicta dominica decima octava post Penteco-

sten, aut in dominica immediate subsequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam pro prima; pro secunda vero ex prædictis hebdomadis, vel in ipsa secunda dominica, aut alio die hebdomadæ hujusmodi, vel in ultima dominica supradictorum quindecim dierum reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas ecclesias intra, et extra urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, et elargimur.

§. 3. Regularibus vero personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis ante præsentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, et indulgemus.

§. 4. Insuper omnibus, et singulis christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, et regularibus cujusvis ordinis, congregationis, et instituti in urbe prædicta degentibus licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis, et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi apostolicæ, et alias per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeat: et insuper vota quæcumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare, juncta tamen eis, et eorum cuilibet in

Quid a regularibus utriusque sexus pro eodem effectu.

Facultates confessariis conceduntur absolvendi, etiam a primibus Ordinariis locorum, et sanctæ Sedi reservatis.

supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

Excipiuntur tamen irregularitates, et excommunicationes latae sententiae.

§. 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, et apostolica Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatur omnibus in contrarium factis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: nec non regula Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum, et congregationum, sive institutorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis iisdem ordinibus, congregationibus, et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xi. septembris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

XIII.

Dat. die 21.
Sept. 1769.
Anno I.

Improbatur arbitraria unio ecclesiarum parochialium fieri solita in regno Sardiniae, opportunaeque sanctiones eduntur pro recta earumdem ecclesiarum administratione.

Clemens PP. XIV.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Inter multiplices, gravesque curas apostolici ministerii, ad quod meritis licet imparibus, divina sic disponente clementia, haud ita pridem vocati sumus, nulla Nobis potior esse debet, atque praestantior, quam quae impenditur in dominicum illud de pasce ovis summa fide, ac religione implendum praecipuum, in quo uno recta non solum christianae reipublicae optime, feliciterque administrandae ratio, ac veluti summa posita est, atque constituta; verum etiam nostrae erga Deum dilectionis argumentum praecipuum, ac maximum. Ad hoc enim Dominus noster Jesus Christus Petrum apostolorum principem ter verbis illis interrogavit: *diligis me?* eidemque ad trinam sinceritatis amoris testificationem ter mystica dixit insinuatione: *pasce oves meas*; ut compertum inde esset, exploratumque, quanti suarum ovium curam ille faceret, quantumque Petro esset ad laborandum, ut dominici gregis sedulam, providamque gerendo curam, sui erga Deum amoris testimonium omnium firmissimum praerberet, atque clarissimum. Mandatum hoc Petro aequae impositum, ac Nobis, qui in illius Sede constituti sumus, illud potissimum exigit, atque suo veluti jure sibi vindicat, ut quae pasce ovis Christi ovibus necessaria Nobis visa fuerint, aut opportuna, ea saluberrimo disponamus consilio, curemusque praee omnibus, ut in animarum rectoribus instituendis ea servetur ratio, ac methodus, quae comparandae populorum saluti apta magis sit, atque accommodata.

Proemium

§. 2. Significatum Nobis est, plerasque parochiales ecclesias istius Sardiniae insulae unitas olim fuisse ab apostolica Sede ecclesiis metropolitanis, et episcopalibus, capitulis, dignitatibus, canonicatibus, abbatibus, collegiis, universitatibus, aliisque piis locis, earumque habitualem curam apud praedictos

Ratio constitutionis

esse metropolitans, episcopos, capitula, dignitates, canonicos, collegia, actua- lem vero apud vicarios ab iisdem paro- chis habitualibus designatos. Relatum quoque est, redditus hujusmodi vicariis pro stipendio constitutos ut plurimum tenues valde esse, et exiguos, eosque sæpe sæpius distribuendos esse in alios etiam presbyteros in subsidium vicario- rum assumptos, tum etiam vicarios præ- dictos esse amovibiles ad nutum paro- chorum habitualium. Qua ex re illud consequi intelleximus, ut aliquando nul- lus fere reperiatur satis idoneus sacer- dos, qui velit id oneris ultro, libenter- que in se suscipere, utque eos, neces- sitate cogente, eligere aliquando oporteat in vicarios, qui tanto obeundo mu- neri impares sunt, et sacris officiis mi- nus apti, quærentes magis, quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi, et qui *humanam amittere gratiam formidantes* ut ait sanctus Gregorius Magnus in *Regul. pastoral. part. 2. cap. 4. loqui libere recta pertimescunt, et juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodia pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.*

Exponitur quomodo gra- via oriantur incomoda, et animarum detrimen- tum experiatur ex unita administra- tione eccle- siarum hujus- modi.

§. 3. Ex hac administrandarum pa- rochiarum ratione quæ, et quanta di- manent incommoda, et animarum de- trimenta, experientia duce, ac magi- stra, nemo est, qui ignoret, ipsa per se satis superque loquitur: quinimmo prædecessores vestri sæpius testati sunt, qui in relationibus status suarum eccle- siarum (quod et ab aliquibus ex vobis præstitum esse accepimus) quas occa- sione visitationis sacrorum liminum sac- cræ congregationi Concilii exhibuerunt, hac sunt de re vehementer conquesti. Ea nimirum omnia locum habent, quæ summus Pontifex Joannes XXII. *cap. Execrabilis de præbendis extr.* paucis verbis indicavit: *Dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesia- rum detrahitur commodis, et honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, et libertatibus multipliciter colla- buntur, et ruinis patent ædificia nobilia. . . et (quod amarius est, et dolen- dum) animarum cura negligitur, et vi- tiorum sentibus fomentum periculose præ- betur.* Tot, tantisque malis providentis- sime occurrere non prætermiserunt præ- decessores Nostri Romani Pontifices va- riis hac de re editis constitutionibus. Generali vero, constantique lege in con- cilio Tridentino *sess. 7. cap. 7. de re- format.* saluberrime sancitum fuit, ut

beneficia ecclesiastica curata, quæ ca- thedralibus, collegiatis, seu aliis eccle- siis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis vi- sitentur, qui sollicitè providere procu- rent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bo- no ecclesiarum regimine aliter expedi- re videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, ar- bitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibi- dem deputandos, animarum cura lau- dabiliter exerceatur.

§. 4. His inhærens san. mem. præ- decessor Noster Pius V. peculiari sua constitutione incipien. *Quantum anima- rum cura* anno MDLXVIII. pro eccle- siis Sardinie insulæ edita, statuit pri- mum, ut parochiales ecclesie, ut su- pra adnexæ, ad primævum statum sim- plicem, et liberum revocarentur, itaut in earum collatione dehinc ab Ordina- riis locorum facienda observari omnino deberet concilii Tridentini forma, quæ de parochialibus conferendis ecclesiis præscripta est. Permisit deinde, ut qui plures parochiales ecclesias sic unitas jam obtinebant, easdem, vita eis co- mite, retinere possent, ea sub lege, et conditione, ut in earum aliqua ad cu- juslibet arbitrium intra sex menses ele- cta, perpetuo residere tenerentur, in reliquis vero vicarii idonei constitueren- tur ab Ordinariis locorum debito cum stipendio, donec illis cedentibus, vel decedentibus locus fieret electioni sin- gulorum rectorum in qualibet earum: ac demum in ecclesiis parochialibus ca- nonicatus, dignitatibus, cathedralibus unitis, in quibus nullæ adhuc vicariæ perpetuæ fuerant institutæ, has quam- primum institui mandavit, cum con- grua fructuum portione etiam super cer- ta re assignanda, ac per dictos vica- rios propria auctoritate percipienda.

§. 5. Dolendum magnopere est, Pia- nam hanc constitutionem tot impedi- dis, extirpandisque malis, atque pristi- num in splendorem restituendo præci- puo ecclesiasticæ disciplinæ capiti ma- xime accommodatam, suo penitus car-uisse effectum. Nostra itaque plurimum interest, novo aliquo, potentique reme- dio aditum omnem prorsus interclude- re gravibus, periculosissimisque malis, quæ ex prædicta parochialium eccle- siarum unione, ac præsertim ex mer- cenariis vicariis, et ad nutum amovib- libus quotidie magis proficisci intelle-

Memoratur constitutio Pii V. qui in novis collationibus mandavit observari formam a concilio Tri- dentini statu- tam.

Dolet tamen Piam consti- tutionem fuisse fraudatam

ximus in maximam animarum perniciem; quæ profecto mala eo pervenerunt; ut singularem charissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae regis illustris religionem excitaverint; ac insignem pietatem, ut ad hanc sanctam Sedem sua obtulerit officia; seduloque postulaverit, ut ad ea funditus extirpanda, ac radicitus evellenda Nostram apostolicam interponeremus auctoritatem.

§. 6. Nos itaque, qui in apostolatus apice constituti ad hoc sumus, ut religionis bono, communique animarum utilitati, et saluti consulamus, de potestate Nobis a Deo attributæ plenitudine statuimus, atque decernimus, ut quævis duarum, vel plurium ecclesiarum parochialium inter se uniones nullæ, ac irritæ habeantur, et sint, ac sine possessorum præjudicio ex nunc pro tunc omnino dissolutæ censeantur. Ex parochialibus item ecclesiis, quarum plures uni, eidemque dignitati, canonicatui, abbatiae, beneficio, vel officio ex apostolica dispensatione, aut alias adnexæ sunt, et applicatæ, una tantummodo pro arbitrio, liberaque voluntate eas obtinentium intra sex menses a die, quo præsentis nostræ literæ datæ sunt, eligenda, loco præbendæ unita perpetuo remaneat eisdem dignitatibus, canonicatibus, abbatibus, beneficiis aut officiis quibuscumque; reliquas vero ex nunc pro tunc una cum omnibus suis juribus, et pertinentiis, separamus, et ad primævum statum simplicem, et liberum, in quo ante prædictam unionem reperiiebantur, sine tamen præjudicio eas obtinentium, restituimus, et revocamus, ita ut iis cedentibus, vel decedentibus, quibus vita comite illas retinere permittimus, Ordinarii locorum, servata omnino forma præscripta a concilio Tridentino *sess. 24. cap. 18. de reform.* a s. Pio V. constitutione *In conferendis* anno MDLXVI, et novissime a Benedicto XIV. *constitut. 68. Cum illud tom. I. Bullar.* ad earum collatione jure ordinario deveniant, si vacatio in mensibus ordinariis contigerit; si vero in mensibus reservatis, actum præelectionis magis idonei ad datariam apostolicam transmittant, literas provisionis assecuturi, ut fieri hactenus consuevit. Quo sane fiet, ut unicuique parochiali ecclesiae suas cum integris parochiae redditibus præficiatur rector, cui totius parochiae cura spiritualis immediate incumbat, quemque parochiae populus, ut proprium suum sacerdotem, et pastorem agno-

scat, et veneretur. Quod si prædicti plures parochiales ecclesias unitas habentes, intra præfinitum sex mensium spatium seligere neglexerint parochiam, quæ loco præbendæ eis esse debet, ad locorum Ordinarios spectare declaramus, eam, quam maluerint, eligere ab eis in posterum, ac perpetuo retinendam. Interim vero in reliquis parochialibus ecclesiis, iis etiam comprehensis, quæ alteri parochiae, seu rectoriae sunt adnexæ, quasque possessores, quoad vivunt, retinere poterunt, assignari mandamus vicarios idoneos a suis respective Ordinariis approbandos cum debito stipendio, juxta modum infra præscribendum; qui quidem vicarii e curæ exercitio evocari æquibunt, nisi indicta causa coram locorum Ordinariis, quorum erit in eam inquirere, atque summarie, ac sine forensi strepitu sententiam proferre.

§. 7. Quoad parochiales vero ecclesias, quæ unitæ sunt mensis archiepiscopalibus, episcopalibus, vel capitulis, collegiis, universitatibus, locis piis, vel etiam canonicatibus, aliisque qui unicam tantummodo vel habent adnexam parochiam, vel habituri sunt, ubi præmissa suum consecuta fuerit effectum, inhærentes sacri concilii Tridentini *sess. 7. cap. 7. de reform.* mandamus, ac præcipimus, ut immota remanente prædicta unione, in earum singulis intra sex menses a die subscriptionis præsentium literarum computandos, singuli deputentur vicarii perpetui, qui primario, ac immediate animarum gerant curam, assidue gregi sibi commisso invigilent, eumque verbo pascant, et exemplo, et in viam dirigant æternæ salutis. In iis autem ecclesiis parochialibus, in quibus magna populi frequentia, incolarumque distantia, aliave concurrant, quorum causa solus vicarius par esse non possit ecclesiasticis administrandis sacramentis, cultui divino peragendo, curæque animarum ea, qua par est, diligencia, vigilique sollicitudine exercenda, tot assumentur sacerdotes, qui auxilium illi ferant, quot locorum Ordinarii pro sua conscientia satis esse judicaverint ad sacramenta recte dispensanda, cultumque divinum laudabiliter celebrandum. Hi tamen sacerdotes pro-parochi appellandi prædictis respective vicariis subiecti erunt, tanquam iis, quibus præcipue, et immediate obcreditum est onus pascendarum ovium, visdemque morem gerent in iis; quæ ad curam animarum pertinent. Ut vero prædictis vicariis ex-

Ubi autem unio consistere debet, vicarius intra sex menses eligendos statuit, qui curam gerant animarum

trinsecus etiam stet honor, et gradus supra reliquos præbyteros, seu pro-parochos, eos uti volumus ornatu, seu insignibus, quæ cæteri parochialium ecclesiarum rectores in ipsa insula gere-re consueverunt.

Episcopus vero monet ne quovis sub prætextu patiantur, ut nominationes hujusmodi fraudata maneat.

§. 8. De his tamen sacerdotibus, seu pro-parochis in subsidium adscitis curæ animarum, vos serio monitos volumus, venerabiles fratres, ne quovis prætextu, aut nomine patiamini, ut ubi eorum plures constituti sunt, vel constituendi, curæ regimen, cæterasque parochiales functiones per turnam, ut vocant, seu per hebdomadam obeundi onus in se suscipiant, ac veluti paciscantur, maximo; et divini cultus, et animarum detrimento. Quem sane ad tollendum abusum, extirpandamque corruptelam inviolate vobis observandum proponimus, quod hac de re sancitum novimus a Mediolanensi archiepiscopo s. Carolo optimo ecclesiasticæ disciplinæ restitutore, ac vindice fortissimo in *actis eccl. Mediol. conc. provinc. IV. tit. de parochiis, et parochi juribus* per hæc verba *« Nec vero ullo unquam modo patiatur, certa quadam hebdomadarum partitione, aliave ratione inter se inita parochialis officii functiones, quæ ab utroque etiam diebus iisdem utiliter præstari possunt, ita inter se dividere, ut ab uno tantum eorum, alternatim scilicet, vel per hebdomadas vel alia temporis vicissitudine præstentur; non enim ferendum est, ut cui ecclesiæ parochiali complurium sacerdotum ministrorumve stipendia, alimentave olim attributa sunt, quo diligentius, et cautius illorum copia tum divinarum officiorum cultui, tum aliis ministeriis ad spiritualem populi curam necessariis, opportunisve consultum esset, illi aut avaritiæ studio, aut dissidio, negligentive ducti, vel onus sibi impositum, minoris quam par est, aestimantes, perinde ei ecclesiæ deserviant, ac si non plures, vel unus tantum parochus, animarum curator constitutus in illa esset.*

Consultur re-
ctæ electioni
vicariorum

§. 9. Per hæc tamen satis prospectum haud foret recto parochiarum regimini, populorumque saluti, nisi et de iisdem deligendis vicariis apta aliqua tradatur ratio, ac via, ex qua constare possit, eos, qui ad id munus eliguntur, morum pollere integritate, scientia, aliisque animi dotibus, quæ in animarum rectore præcipue esse debent, ac maxime necessariæ. Cui rei pari Nos studio providere volentes præcipimus, ut parochis primitivis, ut vocant, seu habitualibus jus sit, et facultas vicarios

perpetuos proponendi, seu nominandi; hos vero locorum Ordinarii, prævio experimento de eorum scientia, et moribus a tribus examinadoribus synodalibus sumendo, si idoneos repererint, quomodocumque, et quocumque tempore prædictas vicarias vacare contigerit, approbabit, suoque jure ordinario instituent, quin vicarii sic instituti novam provisionem ab apostolica Sede reportare unquam teneantur. Idem quoque parochi habituales proponent, et offerent Ordinariis locorum presbyteros, seu pro-parochos pro frequentia populi, locorumque ratione vicariis, ut supra, addendos, qui ubi a prædictis Ordinariis literas approbationis obtinuerint, ministerium assument curæ animarum, a quo non nisi Ordinarium nutum poterunt evocari.

§. 10. Cum autem decimæ a populo eo solvantur consilio, ut ex eis commodam illi percipiant, ac necessariam vitæ alimoniam, qui ipsis spiritualia administrant, quique pro ipsis laborant, et vigilant; nihil certe æquitati magis consonum esse potest, et rationi, quam ut prædictis vicariis, qui ex officio, et vi sui muneris populo spiritualia suppeditant, et pro eo labores subire, atque excubare primario, et continuo tenentur, congruum assignari debeat stipendium ad vitam honeste, decenterque traducendam. Quamobrem præcipimus, ac mandamus, ut iisdem vicariis perpetuis, ultra adventitiæ emolumenta, quæ stolæ, seu altaris proventus solent vulgo appellari, quarta pars fructuum, et reddituum parochialis ecclesiæ, cui præficiuntur, pro congrua constituatur, dummodo prædicta quarta pars, subductis omnibus oneribus, neque computatis missarum elemosynis, aut piis fidelium oblationibus, præsertim quæ offeruntur in administratione sacramentorum, aut aliis quibusvis minor non sit scutatis quinquaginta istius monetæ. Quod si hanc ad summam ea non pertingat, tunc parochi habituales, quod deest, de reliquis portionibus ejusdem ecclesiæ parochialis omnino supplebunt. Hujusmodi vero congrua portio iis in parochiis, in quibus auxiliares sacerdotes, seu pro-parochi adjungendi erunt, ita vicarios inter, et prædictos sacerdotes pro Ordinariis prudentia, ac judicio erit dividenda, ut pars major cedat vicariis, qui in parochiarum regimine, animarumque cura principem supra cæteros locum sibi vindicant. Si autem contingat, quartam partem, ut supra assignatam, alicubi

Eisque decimarum exactio conceditur ad necessariam alimoniam vitæ.

parem non esse tot alendis auxiliariis ministris, quot vel populi frequentia, vel alia rerum adjuncta postulaverint; tunc episcopus, adhibitis juris remediis a concilio Tridentino propositis, pro sui conscientia prospicere curabit.

§. 11. Quod si sermo sit de cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis, quæ parochiales sunt, et quarum cura vel apud episcopos, vel apud respectiva capitula, vel apud utrosque cumulative residet, a quibus ea exerceri solet per vicarios, *Domeros* vulgo nuncupatos, sufficienti ut plurimum congrua destitutos, fraternitatibus vestris mandamus, ut eam vicariis prædictis congruam assignetis portionem, quæ satis esse possit apte, decenterque alendis iisdem non modo vicariis, verum etiam auxiliariis sacerdotibus, seu pro-parochis, et quæ tum respondeat oneribus, aliisque, quæ ii subire coguntur, tum quoque cathedralis ecclesiæ parochum maxime deceat, metropolitæ autem sedulo incumbant, ut a suis suffraganeis id rite impleatur, eorumque, quatenus opus sit (de quo tamen ne per suspicionem quidem cogitare possumus) negligentiam etiam ex officio supplebunt. Quod si vel ipsi metropolitæ desides in hoc fuerint (quod nunquam futurum confidimus) opportunis Nos juris remediis providere non prætermitemus.

§. 12. Quibus sic dispositis, inter ea plura, ac maxima, quæ, ut supra innuimus, abunde sequentur commoda, ac utilitates, ea non minoris sane habenda erit momenti, qua fiet, ut omnis peccatus vicariis prædictis auferatur occasio excusandi sese ab onere celebrandi diebus omnibus festis, applicandique sacrum pro populo sibi commisso, quemadmodum sæpius antehac ab iis factum esse accepimus, eo potissimum nomine, quod congruos sibi parochiæ suæ redditus non suppeterent, vel quod ipsi essent ad nutum amovibiles, et ad tempus curæ abimarum addicti. Quo sane sublato prætextu; divinum hæc de re mandatum non solum a propriis parochiarum rectoribus, verum et a prædictis vicariis accurate in posterum implendum esse decernimus, ac mandamus, non obstante quacumque etsi antiqua, vel etiam immemorabili consuetudine, conscientiamque vestram, venerabiles fratres, graviter in hoc oneramus, ut quovis etiam adhibito, quatenus opus sit, juris remedio constitutionem Benedicti XIV. *Cum semper* hac super re editam diligentissime observari curetis.

§. 13. Hæc sunt, venerabiles fratres, quæ pro ea, quam gerimus, universi dominici gregis cura statuere tenebamur, ac præcipere, ne in re sane gravissima, maximique momenti officio Nostro deesse videremur. Tot, ac tanta Nobis sunt de vestra pietate, religionis studio, ac pastoralis sollicitudine egregia testimonia, ut certa adducamur spe, ac fiducia tutissima, vos prædicta omnia, et singula vestris in civitatibus, diœcesibus, et locis esse quamprimum effecturos non modo, sed ut a cæteris etiam inviolate observentur, omnino curaturos. Id certe facile vos negotio ab his impetrabitis, si quemadmodum dignitate, ita vestro, ut decet, exemplo eis præveritis, vestramque in apostolicam Sedem observantiam, animique alacritatem in ejus exequendis mandatis novo hoc argumenti genere omnium principes testatam feceritis. Quod si vestrum hac in re exemplum minus fortasse apud aliquos valuerit, contradictores quoslibet, et rebelles ecclesiasticis cohibete penis, ac censuris, aliisque compescite opportunis juris remediis, appellatione quacumque remota, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

§. 14. Nihil certe facilius contingere vobis posse arbitramur, quam singula nostris literis contenta summa exequi fide, et obsequio. Habet enim parochia quælibet, sicut accepimus, ac regio etiam nomine edocti fuimus, limites sejunctos, ac distinctos; habet parochianos suos, peculiares redditus, jura, officia, onera, privilegia, libros, et cætera, quæ ad earum singulas pertinent. Quamobrem hoc unum a vobis præstandum superest; ut secundum methodum superius a Nobis traditam, vel earum cuilibet proprium suo tempore præficiatis rectorem, vel perpetuos vicarios constituatis. Neminem etiam conqueri posse putamus, vel grave nimis jugum, ac vix ferendum fuisse a Nobis per præsentem literas impositum, vel aliquod illatum detrimentum; tum quia habita a Nobis fuit eorum ratio, quamdiu vita comes iis fuerit, qui plures habent unitas parochiales ecclesias, quas retinere posse indulgemus; tum quia, licet in supracitato concilio Tridentino decreto *sess. 7. cap. 7. de reformat.* tertia fructuum pars vicariis perpetuis assignanda potissimum proponatur, Nos tamen quartam tantummodo illorum partem eisdem vicariis adjudicavimus; tum demum quia eandem quartam fructuum portionem in quibusdam istius

Hortatur hic Pontifex episcopos ut omnia diligentissime executioni committant, et omnia facilitate executioni mandari posse demonstrat.

Ubi vero sit sermo de ecclesiis parochialibus, quarum cura vel ad capitulum spectat, congruam ab ipsis fructuum portionem recipere vicarii debent.

Exponuntur utilitates a nova hac methodo expectanda.

regni ecclesiis jamdiu vicariis attributam bene cessisse comperimus, atque constanti experimento cognovimus.

Derogatio
contrariorum.

§. 15. Ne vero ad hæc quomodolibet impedienda, vel differenda patrocinium ullus petat ab aliis constitutionibus, indultis, privilegiis, literisque apostolicis generalibus, vel specialibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus, vel statutis juramento, apostolica approbatione, aut alia quavis firmitate quocumque modo roboratis, prædicta omnia, et si quæ alia fortasse sunt peculiari mentione digna, revocamus, nulla esse decernimus, ac irrita, perinde ac si nullo unquam tempore concessa fuissent. Eademque potestatis plenitudine irritum ex nunc declaramus, et inane, quidquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, aut ignoranter contigerit attentari.

Habetis igitur in his, venerabiles fratres, paternæ Nostræ erga vos, gregemque vobis commissum dilectionis, et sollicitudinis perpetuum monumentum, quod vestrarum diocesum necessitatibus satis abunde facturum esse confidimus. Interea vos ex animo complectentes, ac intimo cordis affectu, apostolicam vobis benedictionem impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die xxi. septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 29.
Sept. 1769.
Anno L.

XIV.

Gravis abusus introductus in curias ecclesiasticas, in Sardinia insula constitutas super exactiōne taxarum in collatione ordinum, et beneficiorum emendatur, et coercetur ad formam statutam a conciliis œcumenicis, ac præsertim Tridentina.

Clemens Papa XIV.

Ven. fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Decet quam maxime Ecclesiæ ministros, et dispensatores mysteriorum Dei, ut ab omni avaritiæ suspitione, etsi levissima, penitus alieni, sacro ita vacent ministerio, ad quod vocati a Deo sunt, ut manus suas ab omni se munere excussas gerere, jure ac merito possint gloriari. Hoc sane omnium primum mandavit Jesus Christus

discipulis suis, dum ad prædicandum evangelium eos misit, per hæc verba = *gratis accepistis, gratis date* = *Math. 10. 8.* Hoc potissimum ab iis, qui assumendi essent ad altaris ministerium, exquirendum esse passim tradidit Paulus 1. *ad Timoth. 3. 8.* *ad Titum 1. 7.* Hoc demum inculcavit Petrus animarum curæ præfectis dicens = *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non turpis lucri gratia, sed voluntarie* = 1. *Epist. 5. 2.*

Divino huic mandato, ut ea, qua par est, cura, ac diligentia obsequantur pastores in primis ecclesiarum, qui exemplum esse debent fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, satis minime est, si ipsi irreprehensibiles se exhibeant, verum sedulo etiam cavere debent, ne ab inferioribus, quibus præsent, ministris aliquid adversus illud patrari ullo modo permittant, semper præ oculis habentes egregiam Ambrosii sententiam *lib. IV. in Lucam num. 52.* = *Non tamen satis est, si lucrum ipse non quæras: familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus. Instrue ergo familiam tuam, hortare, custodi: et si te fefellerit servulus, prophético deprehensus repudietur exemplo.*

Hinc optimis, sapientissimisque legibus tum sacrosancta concilia, tum prædecessores Nostri Romani Pontifices aditum sæpe sæpius intercludendum putarunt, ut pravi hac in re abusus, vel nullo unquam tempore irreperent in Dei Ecclesiam, vel si quo forte inveci fuissent, de medio penitus tollerentur. Dolendum tamen, tam sacras, tamque opportunas sacrorum canonum, apostolicarumque constitutionum sanctiones suo apud nonnullas dioceses caruisse effectu, neque ejus fuisse roboris, ac virtutis, ut ad omnes prorsus contrarios usus radicitus evellendos valuerint. Quod ideo factum novimus, quia iis, quorum intererat eas accuratissime exequi, varias prætexerunt excusationes, vel antiquæ, inveteratæque consuetudinis, vel mercedis curiæ ecclesiasticæ ministris impartendæ, vel demum defectus necessariæ sustentationis ad vitam decenter, honesteque pro dignitate traducendam.

Hæc omnia probe intelligens venerab. mem. prædecessor Noster Innocentius XI., ut opportunum his afferret remedium, irritasque prorsus, ac inanes redderet excusationes quascumque, taxam confici jussit anno MDCLXXVIII. in qua collectis omnibus hanc ad rem spectantibus, quæ vel in sacris cano-

nibus dispersa continentur, vel a concilio Tridentino saluberrime sancita sunt, vel a sac. congregationibus prædicti concilii interpretationi, necnon consultationibus episcoporum præpositis fuerant variis temporibus declarata, atque statuta, ea omnia decerni, ac nominatim exprimi mandavit ecclesiastica negotia, pro quibus nullum omnino in foro ecclesiastico, et episcoporum curiis fas esset emolumentum percipere, eo tantum excepto, quod in solius cancellarii commodum, ac necessariam mercedem cedere debet. In eademque cautum simul fuit, ut his in rebus, una, eademque apud curias omnes ecclesiasticas esset methodus, ac uniformis, ut decet, disciplina, reprobata penitus quavis contraria consuetudine. Taxam hanc idem Summus Pontifex Innocentius XI. die prima octobris ejusdem anni sua auctoritate approbavit, confirmavitque, ejusque observantiam, ac promulgationem injunxit.

Attamen ne hoc quidem satis fuit ad collapsam ecclesiasticam disciplinam ubique restituendam, compescendasque, quæ variis in diocesisibus, alte jam invaluerant, pravæ consuetudines. Ea enim statim opposita fuit exceptio, quod prædicta taxa legem minime imponat ab ecclesiasticis curiis etiam extra Italiam existentibus servandam. Verum dissimulandum haud erat, quæcumque in ea continentur decreta, ex sacris canonibus, ac maxime ex concilio Tridentino desumpta esse, quibus proinde necesse omnino erat, ut curiæ omnes ecclesiasticæ religiosissime obtemperarent.

§. 2. Hæc sane fuerunt in causa, venerabiles fratres, eur non sine gravi dolore, Nostrique animi afflictione intellexerimus, vestris in ecclesiasticis curiis plures adhuc circa spiritualis potestatis exercitium abusus locum sibi vindicare, qui ecclesiasticam disciplinam evertunt penitus, nedum enervant, ac in summum cedunt dedecus amplissimæ, qua fulgetis, dignitatis, potestatisque, qua donati estis ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi. Perspecta quidem satis superque Nobis est pietas vestra, conversatio sancta, sollicitudo ecclesiarum vestrarum: novimus etiam, qui in foro ecclesiastico vestrarum diocesium reperiuntur taxarum abusus, retroactis temporibus inductos primum a secundario aliquo ministro, sensim postea ejus exemplo ex diocesi in diocesim, insciis forsan episcopis, propagatos, et alicubi etiam auctos pro ra-

tionem præstantioris dignitatis ecclesiæ: id autem minime advertentibus in officio, vel ministerio successoribus, ac prædecessorum vestigia incaute sequentibus, factum fuisse, ut iidem abusus, usu diutino jam roborati, digni partim visi fuerint, qui eorundem ministrorum impulsu synodalibus probarentur constitutionibus; adeo ut culpæ vobis nullo modo ii verti possint, immo commendatione vos plurimum digni sitis, propterea quod maximo ex iis affectos vos esse dolore intelleximus, deque iis extirpandis maxime cupidos. Sed animo Nos videntes, quam gravia id negotii in vos odia esset concitaturum, et quanta perficiendæ rei interventura essent obstacula, nisi sociam ad id ipsum apostolica se adderet auctoritas; hanc propterea interponimus, præsertim propter taxarum diversitatem, diversamque praxim in variis diocesisibus vigentem, ad hoc ut non solum omnes ad æquam, justamque redigantur mensuram, sed cunctæ etiam unam, eademque laudabilem obtineant conformitatem. Quare confidimus de vobis in Domino, quoniam quæ ad vos mittimus decreta pro apostolico Nostro munere, et ad petitionem charissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardinæ regis illustris, cujus singularis in Nos, et apostolicam hanc sanctam Sedem observantia, nec non pietas, ac religionis studium quotidie magis elucet, eadem vos summa fide exequimini, et ab omnibus, ad quos pertinet; observari diligentissime curabitis.

§. 3. Et ad sacras primum ordinationes quod attinet, latere vos minime possunt innumeræ ferme, æque sanctissimæ Ecclesiæ leges, quibus vetitum quovis tempore fuit, ne episcopi, aliique sacrarum ordinationum collatores, aut officiales quicumque aliquid perciperent ex ordinum collatione. Id aperitissime sancitum legimus in Chalcedonensi œcumenica synodo *an. 451. canon. 2.*, in Romana sub s. Gregorio magno *an. 600. vel 604. canon. 5. alias epist. 44. lib. 4. indict. 13.*, in Nycena II. œcumenica *an. 787. canon. 5.*, in Salegunstadiensi *an. 1022. canon. 3.*, in Lateranensi IV. sub Innoc. III. *an. 1215.*, in Turonensi, Bracarenensi, Barchinonensi, aliisque apud Christianum Lupum in *disser. 2. proem. de simonia cap. 9. tom. 4. operum*, et apud Gonzalez in *cap. Antequam I. de simonia num. 9.* ac novissime in concilio Tridentino *sess. 21. cap. 1. de ref.*, a quo antiqui canones sponte oblatum recipi permittentes emenda-

Ne quid emolumentum percipiatur in collatione ordinum ecclesiasticæ vetant sanctiones



Abusus introductus in curiis ecclesiasticis super impositione, et exactione taxarum improbat.

ti sunt, et ecclesiastica de sacris ordinationibus disciplina ad primævam suam avitamque puritatem redacta. Concilii decretum ita se habet. *Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritice suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum episcopi, et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex iisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, et consuetudines, etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus, et corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando, et interdicens; et qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.*

Hinc etiam
spontaneæ
oblationes im-
probanantur

§. 4. His itaque inhærentes, mandamus vobis, ac præcipimus, venerabiles fratres, ne quid, etiam sponte oblatum, pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, aut pro literis dimissoriis, seu testimonialibus, aut pro sigillo, aliave quacumque de causa, et quovis prætextu, vel colore accipiatis, una excepta cereæ candelæ oblatione, quæ ex pontificali romano fieri consuevit; ita tamen ut ejusdem candelæ qualitas, et pondus arbitrio, ac liberæ eorum voluntati, qui sunt ordinibus initiandi, omnino relinquatur. Eisdem quoque parebunt sanctioni vestri generales vicarii, aut foranei, cancellarii, vel alii ministri, familiares, et famuli quibus generatim interdictum est a sacro concilio Tridentino occasione sacrarum ordinationum emolumentum aliquod, munus, aut strenas quovis titulo percipere, aut exigere.

Indulgetur
unum cancel-
lariis inser-
vientibus in
curia absque
stipendio ut
quid minimum
recipiant pro
literis testi-
monialibus.

§. 5. Quod si istis in diœcesibus nullum cancellario, vel notariis ecclesiasticæ curiæ constitutum sit stipendium vel salarium pro officio exercendo; tunc iisdem facultatem facimus, ut pro singulis literis testimonialibus ordinis jam collati, etiam clericalis tonsuræ, vel di-

missoriis pro eadem clericali tonsura, aut ordinibus ab alieno episcopo recipiendis, decimam tantum unius aurei partem, seu obulos decem monetæ romanæ exigere possint, et valeant, non tamen a regularibus arctissimæ paupertatis voto obstrictis, pecuniæque usum minime habentibus. Eandem mercedis rationem servandam mandamus, etiam si prædictæ testimoniales literæ, aut dimissoriæ plures ordines respiciant, et contineant vel jam collatos, vel confendos ab alio episcopo, itaut nullo modo liceat prædictam mercedem obulorum decem augere, vel multiplicare pro ratione singulorum ordinum iisdem in literis testimonialibus, vel dimissoriis contentorum. Per hæc tamen haud Nobis mens est, cancellarios, aut notarios adigere, ut diversos ordines distinctis temporibus, et ordinationibus collatos in iisdem literis testimonialibus debeant simul describere; id vero tunc dumtaxat fieri præcipimus, quum de iis agitur ordinibus, minoribus scilicet, qui una, eademque ordinatione collati fuerunt. Quoad literas autem dimissorias, quæ dantur ad plures ordines ab alio episcopo suscipiendos, scripturas multiplicari interdicens, aut aliquid aliud exigere pro rogando actu collationis ordinum, aut pro accessu ad locum ordinationis, aut alio quovis nomine etiam doni, vel præmii.

§. 6. In collatione vero ordinis subdiaconatus, cum major a cancellario, seu notariis subeundus sit labor pro comprobanda veritate, ac idoneitate patrimonii, aut beneficii, ad cujus titulum promoveri quis optat, tum etiam aliis pro actibus collationi prædicti ordinis necessario præmittendis; hinc iisdem indulgemus, ut mercedem aliquam suo labori convenientem, ab episcopo pro suo arbitrio, et conscientia, quam hac in re gravatam volumus, taxandam, percipere possint; dummodo scriptura, sigillo, et cæteris omnibus computatis, unum aureum non excedat, seu julios sexdecim cum dimidio. Liberum autem esse volumus promovendis ad ordines, vel eorum parentibus, quovis uti notario legitime approbato ad subscribendum, rogandumque instrumentum, quincogi hi possint ad sese, una cum necessariis testibus sistendum prædictis curiis pro institutione, ac stipulatione patrimonii, aliisque actibus de more conficiendis. Curiæ vero notarius, cui hujusmodi instrumentum erit deinde tradendum, præter mercedem ab episcopo, ut supra, definiendam, aut sum-

Gravior taxa
ipsis conceditur
pro literis
testimonialibus
relaxandis
in collatione
ordinis subdia-
conatus, quæ
tamen excede-
re nequit unum
aureum arbitrio
episcopi

mam unius aurei, seu juliorum sexdecim cum dimidio, tam pro eo excribendo, quam pro quocumque alio labore, nihil omnino poterit exigere, vel accipere pro decreti publicatione, vel pro literis publicatoriis, vel *alia quacumque de causa, aut quovis pretextu* uti disertis verbis legitur in citato decreto concilii Tridentini, et aperte declaratum fuit a sacra congregatione Concilii in *Vicen. die 7. februarii 1602.*, et a sacra congregatione Episcoporum in *Gerunden. die 25. octobris 1588.* apud Fagnan. in *cap. in ordinando, de simonia num. 32. et seqq.*

§. 7. Hæc tamen omnia, quæ mercedis loco a notariis, vel cancellario exigi posse indulgemus, ea semper sub lege, ac conditione permessa censi debent, dummodo nullum pro exercendo officio stipendium, seu salarium eis sit constitutum, et dummodo ex eorum commodis nihil omnino vel directe, vel indirecte vobis, aut cuivis alii ordinum collatori, vel officiali, aut ministro possit provenire, quemadmodum ab eodem concilio Tridentino sancitum est. Quæ duo locum sibi semper vindicare volumus in cæteris omnibus, quæ nostris his in literis sumus constituturi.

§. 8. Ac demum a turpis lucri, et avaritiæ suspicione excusari vix posse putamus pravam, quam in aliquibus ex istis curiis invaluisse audivimus, consuetudinem, pecunias exigendi tam pro facultate a vobis, vel generalibus vicariis impertienda, ut recenter in presbyteros ordinati primam missam celebrent, quam pro alia simili facultate, ut exteri nimirum sacerdotes commendatiis suorum respective Ordinariorum literis muniti ad divina peragenda admittantur. Quam sane consuetudinem, etsi isthic invectam, ac servatam titulo stipendii, seu mercedis ei præstandæ, qui ad periclitandam sacerdotum in sacris ritibus, et cæremoniis peritiam designantur; attamen tamquam a sacris canonibus alienam, ac pluries reprobata de medio tollendam esse omnino præcipimus.

§. 9. Quæ hactenus de sacris diximus ordinationibus, eadem ad beneficiorum ecclesiasticorum collationem, seu provisionem pari jure transferenda esse, planum vobis fiet, atque compertum, si vestros ob oculos posueritis Ecclesiæ canones, qui ad radicitus evellendos abusus variis hac de re temporibus obortos, sunt constituti, *cap. si quis q. 3. cap. non satis 8. cap. cum in ecclesiæ 9. cap. Jacobus 44. de simonia*, alibique *Bull. Rom. Tom. IV.*

apud Christianum Lupum in *cit. dissert. de simonia cap. 10.* Et quamvis a sacro concilio Tridentino nihil occurrat hoc de argumento speciatim statutum; sacra tamen congregatio Concilii, approbante summo Pontifice Gregorio XIII. declaravit, decretum *cap. 1. sess. 21. de ref.* vindicare etiam sibi locum in collatione beneficiorum, præsertim curatorum, nec pro sigillo aliquid accipi posse, non obstante quacumque immemorabili consuetudine; *Garz. de benef. part. 8. cap. 1. num. 76. et seq. Fagnan. in cap. In ordinando de simonia num. 31. Gallemart. in cap. 1. sess. 21. de reform.* Hinc eadem sacra congregatio in literis ad Melphitanum episcopum datis, summo annuente Pontifice, censuit, declaravit, et sanxit, collatores beneficiorum quacumque dignitate præfulgeant, nihil pro collatione, seu quavis alia dispositione beneficiorum, quovis quæsito colore, directe, vel indirecte, etiam sub nomine annatæ, aut cujusvis alterius portionis fructuum, etiam a sponte dantibus, vel offerentibus accipere, aut exigere posse; eorundem quoque collatorum notarios, et alios quosvis officiales, quibus tamen certum salarium aliunde constitutum est, eadem omnino servare debere: alioquin tam dantes, quam accipientes pœnis contra simoniacos editis sacris canonibus teneri, ipsaque ipso facto incurrisse censi; notarios autem, seu officiales alios a suis officiis suspensos esse. *Apud Garz. loc. cit.*

§. 10. Hoc vobis significanda duximus, venerabiles fratres, ut inde intelligatis, quantum ab ecclesiastica abhorreant disciplina, quæ vestris in diocesis passim vigent consuetudines in beneficiorum collatione, quantaque cura eniti debeatis, ut ea funditus evellantur. Vestrum itaque deinceps erit, hanc vobis generatim regulam proponere, sanctissimeque servare, ut in beneficiis ecclesiasticis, sive curata ea sint, aut residentialia, sive simplicia, aut etiam manuales, ut vocant, capellanæ, a vobis jure ordinario conferendis, nihil omnino exigatis, vel percipiatis, quovis pretextu, aut colore, etiamsi titulo strenarum, muneris, aut voluntariæ oblationis, præsertim vero pro approbatione, et præelectione magis digni in concursu ad parochiales ecclesias, vel pro beneficii possessione. Eidem canonicæ sanctioni obnoxios declaramus alios quoscumque collatores, vicarios generales, cancellarios, consanguineos vestros, familiares, et famulos, quibus aliquid percipere omnino vetamus.

Executio legis committitur religioni, et conscientia episcoporum.

Qui aliquod stipendium, vel salarium pro exercendo officio recipiunt taxam percipere prohibentur.

Improbatur consuetudo percipiendi taxam pro facultate ordinatis impertiendis ab episcopis aut vicariis celebrandi missam aut pro literis commendatiis.

Extenditur prohibitio exigendi taxam, etiam in collatione beneficiorum.

A lege eximuntur unice notarii, et cancellarii, qui inserviunt absque mercede, et eis taxa præstitur pro quolibet actu

§. 11. Ab hac generali regula excipiendi tantummodo sunt cancellarii, seu notarii, quibus, ut alias innuimus, nullum pro officio exercendo definitum est stipendium, seu salarium. Tunc enim cancellarius, si sermo sit de beneficiis curatis, pro edicto, seu literis, quibus concursus publice indicuntur, exigere poterit obulos decem, et pro quolibet ejus, seu earum exemplari obulos quinque, et pro iisdem de more affigendis, obulos quinque; et si eadem literæ extra urbem debeant affigi, pro itineris expensis, aliisque ad id necessariis solvendum erit in dies singulos emolumentum a taxa cujuslibet respectivæ diocesis præscriptum. Pro expeditione literarum collationis tam prædictorum beneficiorum curatorum, quam simplicium, cancellarius mercedem labori suo convenientem, pro arbitrio episcopi recipiet, quæ tamen scriptura, sigillo, cæterisque computatis unum aureum, seu julios decem monetæ romanæ non excedat, uti pluries declaratum est a sacra congregatione Concilii, maxime vero die 15. januarii 1594. apud Gallemart. loc. cit., et in Vicen. 8. martii 1602. apud Fagnan. loco cit. num. 32., et a sacra congregatione Episcoporum 25. octobris 1588. ad 1. apud eundem Fagnan. ibid. num. 35. Ac demum pro actu possessionis eorundem beneficiorum, si intra urbem fuerint, julios tres accipiet pro subscriptione instrumenti: si in suburbiis, julios quatuor; si vero alibi, taxa servetur singularum respective diocesum pro dietis, ut supra indicavimus. At si in loco, ubi situm est beneficium, adfuerit cancellarius vicarii foranei, vel ejus notarius, hoc pro suo arbitrio uti poterit, qui beneficii possessionem adire debet, nec ullo modo cogendus erit, ut cancellarium advocet curiæ episcopalis pro eodem possessionis actu rogando. Pro literis item testimonialibus approbationis in concursu ab examinatore relatæ, et quibus uti solent, qui eas impetrarunt, in suæ idoneitatis argumentum, julios duos tantum a notario accipi pro mercede posse permitimus.

§. 12. Nos etiam minime latet, haud exiguum ferendum esse a cancellario, seu notario laborem in concursu ad parochiales ecclesias, sive dum excipit examen testium, qui concurrentibus inducuntur ad suas probandas qualitates, merita, et res pro ecclesiæ servitio præclare gestas, sive dum in acta concursus inserit requisita, ut vocant, a concurrentibus exhibita, cadem summam

In concursibus ad parochiales ecclesias pro labore notariarum, et cancellariorum taxa est ab episcopo statuenda, quæ respondeat labori

in scriptis redigit; eorumque plura describit exemplaria episcopo, vel vicario generali vices illius obeunti, ac singulis tradenda examinatorebus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendæ ecclesiæ necessariis dotibus ferant iudicium; quæstiones præterea morales describit ab iisdem examinatorebus propositas, suffragium refert eorundem examinerum, actum rogat prælectionis, concurrentium custodiæ ad duos interdum, vel tres dies, tum etiam prædictarum quæstionum moralium scrutinio præsens adstat etc. Cujus quidem laboris aliquam haberi posse rationem indulgemus, episcopi arbitrio relinquentes, et conscientiæ, eam tantummodo mercedem statuere, quæ soli labori respondeat.

§. 13. Quoad beneficia vero, quæ a Sede apostolica conferuntur, quatenus eidem reservata sunt, item quoad beneficia curata, de quibus datariæ apostolicæ exhiberi solent literæ testimoniales approbationis, et prælectionis in concursu habito ad formam concilii Tridentini, ac tandem quoad alia beneficia non curata, et præcipue residentialia, in quibus pariter offerri solent prædictæ datariæ apostolicæ literæ testimoniales de vita, et moribus, deque idoneitate eorum, qui beneficium petunt, caveant cancellarii, ne ullam pro iisdem literis exigant emolumentum, mercedem, vel aliud etiam sponte oblatum, præterquam pro scriptura, papyro, et sigillo literarum de idoneitate duos julios; julios item duos pro literis testimonialibus de vita, et moribus.

§. 14. Pro executione literarum apostolicarum, quando hæ expeditæ fuerint in forma, ut ajunt, *gratiosa*, neque episcopi, aut alii prælati locorum Ordinarii, neque eorum vicarii, cancellarii, aliique officiales ullo modo præsumant executorum munus sibi necessario vindicare; sed pendeat omnino ab arbitrio, et voluntate eorum, qui de beneficio provisus fuerint, executorem, aut notarium sibi eligere pro actu ad eundem beneficii possessionis. Quod si provisus de beneficio Ordinarium officialem elegerit, ejusque cancellarium, vel si literæ apostolicæ expeditæ in forma *dignum*, ut præfertur, directæ fuerint Ordinario, aut ejus officiali, seu vicario, cui idcirco necessario competat illas exequi; utroque in casu si legitimus desit contradictor, itaut executor solus sit, poterit cancellarius, exclusis penitus a quovis emolumento, munere, et

Nullam vero mercedem recipere possunt cancellarii, et notarii in collatione beneficiorum a Sede collatorum, vel in iis quæ conferuntur expeditis apostolicis literis per datariam

Traduntur regulæ servandæ in executione literarum apostolicarum expeditarum vel in forma gratiosa vel in forma digna, ma dignum super exactio- ne taxarum

voluntaria etiam oblatione episcopo, aut alio praelato, ejus vicario, officiali, familiaribus, famulisque, ut supra diximus de beneficiis liberæ collationis, percipere pro iisdem literis apostolicis exscribendis, referendisque in acta, tum etiam pro aliis omnibus actibus de more, conficiendis mercedem, quam episcopus pro suo arbitrio, et conscientia labori congruam judicaverit; dummodo non excedat solum aureum, seu julios sexdecim cum dimidio. Verum si adfuerit contradictor, ita ut institui oporteat actus, seu processus judicialis, arbitrio pariter, et conscientia, episcopi relinquimus, quam graviter oneramus, mercedem statuere, quæ operæ; laborive a notario, seu cancellario adhibito respondeat; quin ex his cancellarii, aut notarii commodis aliquid episcopo, vel aliis, ut supra, directe, aut indirecte provenire possit. Pro actu vero ad eundem beneficii possessionis, eadem, quæ superius diximus, observentur.

§. 15. Quoad beneficia, quæ sunt jurispatronatus, si dubium oriatur cum promotore fiscali, vel cum eo, qui beneficium impetraverit, super existentia prædicti jurispatronatus, quatenus liberæ esse collationis aliquis eorum contendat, omnia servanda erunt, quæ supra statuimus de beneficiis liberæ collationis accedente contradictore. Cancellarius nimirum pro edicto adversus contradictorem, seu contradictores julios duos recipiet; pro singulis illius exemplaribus obulos decem; pro eodem edicto affigendo, servetur, quod statuimus superius de beneficiis curatis; ac tandem pro literis institutionis unum aureum, seu julios sexdecim cum dimidio. Si autem de jurispatronatus existentia nulla sit dubitatio; his tamen super pertinentia oriatur in compatronos, vel eos, qui ab ipsis sunt præsentati, tunc habeatur causa tamquam profana, ac propterea ea exigi possit emolumenta, quæ uniuscujusque curiæ consuetæ taxæ respondeant.

§. 16. Generatim pariter prohibemus, ne episcopi, vel alii praelati, eorumque vicarii, aut officiales quicumque aliquid exigere præsumant tam in capellaniis manualibus, ut vocant, quam in novis foundationibus, et erectionibus beneficiorum, cappellaniarum, sodalitiarum, congregationum, aut in foundationibus, benedictionibus, consecrationibus, et respective visitationibus, et approbationibus ecclesiarum, et oratoriorum tam auctoritate apostolica, quam ordinaria. Cancellarius tantummodo mer-

cedem labori congruam poterit percipere ab episcopo pro suo arbitrio, et conscientia constituendam, dummodo julios sexdecim cum dimidio non excedat.

§. 17. Ad ea, quæ matrimonia respiciunt, vel sponsalia gradum facientes, servandum vobis proponimus, quidquid sacri canones *cap. cum in ecclesia 9., cap. suam nobis 29. de simonia*, sanctus Gregorius Magnus in epistol. ad Jaquarium istius Calaritanæ sedis episcopum *lib. 4. indict. 12. epist. 27.*, alique apud sæpe laudatum Christianum Lupum in *citat. dissertat. cap. 7.*, et novissime concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 5. de reformat. Matrimon.* saluberrime decreverunt. Episcopi nimirum, eorumque vicarii, officiales quicumque, familiares, ministri, ita suam gratis præstare in his debent officium, ut nihil omnino titulo muneris, aut præmii exigere præsumant, aut sponte oblatum recipere, sive pro decreto super dispensationibus matrimonialibus habitis a Sede apostolica, sive pro labore in testibus eam ad rem examinandis; aliisve testificationibus excipiendis, sive pro literis testimonialibus status liberi, et defectus cujusvis canonici impedimenti, sive pro dispensationibus denunciationum ex concilio Tridentino tribus continuis diebus festis in ecclesia inter missarum sollemnia a proprio contrahentium parcho habendarum, sive pro facultatibus inveniendi matrimonia domi, vel alibi, vel tempore insueto, et vetito, vel coram sacerdote alio a parcho, sive demum pro quovis actu de more, et necessario perficiendo, uti a sacra congregatione Concilii, summo approbante Pontifice, declaratum fuit; non obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine apud *Garz. de benefic. part. 8. cap. primo num. 102. et seq., et Fagnan. in cap. quoniam, ne praelati vires suas num. 30.*

§. 18. Id locum potissimum habere decernimus in licentiis, quas episcopi solent parochis concedere, ut inveniunda matrimonia tribus diebus festis publice in ecclesia denuncient, vel ut matrimoniis ipsis celebrandis, ubi nullum adesse noverint impedimentum, suam præsentent præsentiam. Hujusmodi porro licentias non solum gratis prorsus impertiri oportet, verum cavendum præterea est, ne imposita indiscriminatim necessitate prædictam licentiam impetrandi, antequam matrimonia quæcumque celebrentur, difficilius reddatur matrimonii contractus, ac pluribus inde incommodis præbeatur occasio. Utrique

Nihil pariter recipere pro iis quæ matrimonia, vel sponsalia respiciunt

Id ipsum præfinitur pro collatione beneficiorum, quæ sunt jurispatronatus

Nec in capellanis manualibus, nec in foundatione beneficiorum, cappellaniarum, sodalitiarum, congregationum, aut in foundationibus, benedictionibus, et visitationibus ecclesiarum episcopi, aut vicarii tantam exigere valent

Præsertim vero in licentiis parochis concessis ut nuncient matrimonia tribus diebus festis, vel ut matrimoniis eorum præsentent præsentiam.

malo occurrendum censuit, sacra congregatio Episcoporum in *Gerunden.* 25. octobris 1588. apud *Fagnan.* in cap. *In ordinando de simonia num. 41.* Cum enim a canonicis, et capitulo Gerunden. mota fuisset quæstio super edicto, quo episcopus parochis prohibuerat, ne spon- sos matrimonio conjungerent, expletis etiam solemnitatibus a Tridentino concilio requisitis, nisi haberent in scrip- tis licentiam, quæ non dabatur absque solutione dimidii unius julii; eadem sa- cra congregatio hunc in modum rescrip- sit: = *Si ex aliqua rationabili causa prohibetur, ne parochi solemnitatibus a dicto concilio ordinatis, matrimonio aliquos conjungere possint, nisi habita prius licentia ab episcopo; hoc jure ip- si episcopo lex aliqua præscribenda non est, sed servatis omnino, quæ ex eo- dem concilio substantialia sunt; quoad solemnitates dumtaxat, suæ tantum con- scientiæ, et regimini relinquendum. Si- militer etiam si quomodolibet in aliquo castro, seu oppido id prohibere conve- nit, quod tamen non nisi ex aliqua ur- genti causa faciendum videtur. Sicut enim episcopus summopere debet animad- vertere, ne matrimonia sine solemnita- tibus prædictis fiant; ita etiam cavere, ne difficiliore reddantur matrimoniorum contractus, novas sine magna causa ad- dendo necessitates; si tamen aliqua li- centia opus erit, nihil omnino etiam a notario pro ea exigatur; sed si ex an- tiqua forsitan præscripta consuetudine ali- quid episcopo, quasi in signum lætitiæ, donari gratis soleat, non videtur peni- tus improbandum =.*

Uni cancella-
rio aliquid
tribuitur pro
suo labore, si
inserviat cu-
ria absque sa-
lario

§. 19. Uni tantum cancellario, cui certum pro officio exercendo constitu- tum non sit salarium, fas erit pro sui laboris mercede, et necessariæ sustentationis stipendio aliquid percipere emo- lumentum hac ratione, et methodo, ut pro executione literarum apostolicarum super dispensationibus matrimonialibus, si testium examen per seipsum excipiat ad veritatem eorum probandam, quæ in supplici libello exposita sunt, plus minusve recipere possit pro testium numero, et laboris gravitate, non tamen plusquam julios quinque; si vero hu- jusmodi examen alteri commissum fue- rit, julios tantum duos pro literis de- legationis, quin aliud, etsi minimum, recipiat pro decreto, sigillo, aut alio quovis nomine; pro literis testimonia- libus de statu libero, computatis item scriptura, papyro, et sigillo, cæterisque, julios duos; pro examine testium ad eundem statum liberum, defectum-

que cujuslibet canonici impedimenti com- probandum, obulos decem in singulos testes; pro recognoscendis literis testi- monialibus de statu libero alienigena- rum, obulos decem nisi opus sit alteri- us testis examine ad tollendam dubi- tationem omnem, si quæ fortasse oc- currat, ac demum pro dispensationibus denunciationum, quatenus testium exa- men necessario requiratur; obulos de- cem pro prædicto tantum examine.

§. 20. Detestabilis æque, ac de ava- ritia, et cupiditatis radice provenire visa semper fuit quæcumque pecuniæ, aut alterius cujusvis rei exactio in sa- cramentorum dispensatione. Eam proinde sacri canones tamquam simoniaca infectam pravitate sæpius damnaverunt, debitisque coercere pœnis curarunt, at- que ecclesiasticis censuris, ut liquet ex cap. *cum in ecclesiæ corpore* 9. ex cap. *ad apostolicam* 42. de *simonia*, et ex pluribus conciliorum decretis apud Chri- stianum Lupum loc. cit. cap. 7. et 8. Quibus firmissime adhærens sacra congregatio Concilii nullo unquam tempo- re passa est, aliquid exigi in sacrame- torum administratione. Cæteris præter- missis, in *Albanen. funerum die 20. fe- bruarii 1723.* cum fuisset ad examen revocatum, an permitti deberet, ut pa- rochus patinam acciperet, sive discum, quo is utebatur in extrema unctione ad- ministranda, proposito dubio: An sit permittenda receptio disci? eadem sa- cra congregatio rescripsit = *Non esse permittendam ejus receptionem, = Thes. resolut. tom. 2. pag. 280.* Pariter cum Vasionensis episcopus in synodo habita anno 1729. taxam constituisset in sua diœcesi servandam, in qua inter cæte- ra circa baptismum hæc constituebantur: » *Suppeditabunt patrinus, aut ma- trina pro baptismi cæremoniis ad minus cereum unum, et linteum candidum, atque lucens, ni maluerint pro his om- nibus simul, et pro relatione in acta publica baptismatum dare quinque asses:* = proposito dubio = *An taxa præscripta in dicta synodo esset observanda? Sacra congregatio in Vasionen. 6. februarii 1734. respondit; » Negative, et amplius » Thes. resc. tom. 6. pag. 209.*

Simoniaca in-
fecta pravitate
deklaratur,
quolibet exa-
ctio in sacra-
mentorum di-
spensatione

§. 21. Inter cætera vero, quæ et frequentius, et acrius a sacris canoni- bus, conciliisque reprobantur, locum sibi potissimum vindicat, quæ olim passim invaluerat, consuetudo, num- mos exigendi pro chrismatibus, oleique receptione, quam variis episcopi nomi- nibus frustra excusare nitentur, vel titulo cathedratici, vel paschalis præ-

Præsertim ve-
ro pro chris-
matis, olei-
que præsta-
tione

stationis, vel episcopalis consuetudinis, *cap. non satis 8., cap. et quæ 16., cap. ad nostram 21., cap. in tantum 36. de simonia*, et alibi apud Christianum Lupum *loc. cit. cap. 7. §. secundum sacramentum*. Hinc cum Antiochenus patriarcha maronitarum in distributione sacrorum oleorum aliquam exigere consuevisset pecuniæ oblationem, quamvis constaret, pecuniam neque dari, neque recipi animo nundinandi sacra olea, sed ad ipsius patriarchæ alimoniam, atque ad onera sustinenda, quæ patriarchali incumbunt officio, ac dignitati; attemperata ad propellendam omnem simoniæ suspicionem, prædicta consuetudo fuit improbata a congregatione particulari, cui demandata est cognitio rerum ad maronitas pertinentium, ejusque sententiam confirmavit Benedictus XIV. *constit. apostolica 43. Bullar. tom. 1.*

§. 22. Hæc satis superque esse arbitramur, venerabiles fratres, ut quæ vestri sunt muneris in sacramentorum administratione, et intelligatis plenissime, et accuratissime perficiatis, operamque in id potissimum vestram conferatis, ut prava tollatur omnino consuetudo in nonnullis vigens diocesisibus, qua fit, ut aliquid pecuniæ vel ab episcopo, vel a sacrarii præfecto exigatur in sacri olei distributione. Id sæpe alias præcepit sacra congregatio Concilii, præsertim in *Amalphantana 18. julii 1699. confirmata 6. februarii 1700. ad dubium XII. = An archiepiscopus demandare teneatur, quod oleum sanctum ab ecclesia cathedrali gratis ecclesiæ parochiali tradatur?* » Ad quod respondit » *Affirmative* = Idemque præstitit sacra congregatio Episcoporum in *Acheruntina, seu Matheranen. 18. martii 1706. ad 2. apud Petram Comment. ad constitut. 5. Innocentii IV. num. 38.*

§. 23. Quoad oblationem vero candelæ, quam episcopo sacramentum Confirmationis administranti fieri nonnullis in diocesisibus istius regni audivimus, dissimulandum in primis haud est, ne verbum quidem in libro pontificali de ea occurrere; ac præterea cum sacra ministerii functio omnes adstringat ministros, ut in oblatorum receptione moderationem servant, agendique modum, ne, avaritiæ, turpisve quæstus notam incurrendo, ministerium ipsorum vituperetur, et reverentia tanto debita sacramento vilescat; cavendum est sedulo, ne hujusmodi candelæ oblatio in suspectam degeneret exactionem, qua fiat, ut fideles, præsertim pauperes, vel a sacramenti receptione retrahantur, vel

eam diutius, quam convenit, differant. Optandum hinc maxime foret, ut prædicta consuetudo vel tollatur omnino, vel ea saltem observetur ratione, ut ab offerentium arbitrio penitus pendeat.

§. 24. Eadem prorsus jura præcipiunt, ut tam episcopi, quam eorum cancellarii, aut notarii gratis suum debeant ministerium impendere, dum prævio etiam examine, et approbatione, facultas alicui sit sacramentales excipiendi confessiones, administrandi sacramenta; exercendique quodvis ecclesiasticum ministerium, vel dum idonei deputantur vicarii, sive perpetui, sive ad nutum amovibiles, æconomi, coadjutores, uti habetur *cap. ad nostrum de simonia*, et declaratum fuit in sæpe cit. *Vicen. 7. februar., et 8. martii 1602. et in Gerunden. 25. octob. 1588. ad 7. reprobato quovis prætextu, etiam mercedis pro literis in scriptis concedendis ad prædicta ministeria, seu officia exercenda.*

§. 25. Neminem præterea vestrum ignorare arbitramur, quam crebris, severisque legibus vetitum sit, pro sepulturis, et mortuorum exequiis pecuniæ aliquid exigere; Christianus Lupus *loc. cit. cap. 12., et Van-Espen. in jus eccl. univ. par. 2. tit. 38. cap. 4. Unum volis indicasse sufficiat sanctum Gregorium Magnum qui ad Januarium Calaritanum episcopum scribens lib. 9. indict. 2. epist. 3., alias lib. 7. indict. 2. epist. 56. ita conqueritur: = Questa est nobis Nereida clarissima fœmina, quod ab ea centum solidos pro filia suæ sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere Quod si ita se veritas habet; quia grave nimis, et procul est a sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium, hoc autem vitium, et Nos de Ecclesia nostra vetuimus; et pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo = . Hujusmodi tamen legibus nequaquam damnabatur laudabilis, et a primis sæculis in Ecclesia recepta pia consuetudo in funeribus oblationes faciendi pro mortuis, neque proinde clericis libertas adimebatur eas recipiendi. Quare idem summus Pontifex Gregorius *loc. cit.* mox addit: = Si quidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Petiti vero aut aliquid exigi, omnino prohibemus =. Idemque disertis verbis sta-*

Nihil exigendum esse statuitur, ut indulgeatur facultas administrandi sacramenta, et exercendi quodvis ecclesiasticum ministerium.

Nihil pariter pro sepulturis, et mortuorum exequiis, præter id quod fuerit sponte oblatum.

Religionem episcoporum committitur noviter onus extirpandi contrarias consuetudines a legibus ecclesiasticis improbatas.

Oblatio candelæ pro episcopis in sacramento confirmationis toleratur, dummodo pendat unice ab arbitrio offerentis.

tuit Innocentius III. in concilio Lateranensi *cap. ad Apostolicam 42. de simonia.*

Cessat lex ubi non acant decimæ personales.

§. 26. Verum deficientibus decimis personalibus, reliquis vero tum realibus, tum mixtis ad monasteria, vel canonicorum capitula devolutis, necesse quodammodo fuit, ut laici quasi adigerentur ad præstandas pias oblationes hactenus consuetas, ut parochorum, ecclesiarumque parochialium necessitatibus provideretur. Attamen consultum semper fuit ecclesiasticæ disciplinæ sanctitati, ac simul cautum, ne circa has laudabiles consuetudines vel a clericis per excessum, vel a laicis per defectum aberraretur. Inter cætera vero sancitum est, ne defunctorum sive civium sive alienigenarum exequiæ, funera, et sepultura vel impediantur, vel differantur ad exigenda emolumenta ex prædicta pia consuetudine invecata; tum etiam ne aliquid exigatur pro facultate transferendi cadavera, vel ea uno potius in loco, quam in alio sepeliendi.

Oblationes tamen semper respicere debent animarum suffragium.

§. 27. Ex his itaque noveritis, venerabiles fratres, ferendum minime esse, ut vestris in diœcesibus præter consuetas oblationes intuitu piorum officiorum in animæ suffragium, cadaverique præstandorum, ex pia fidelium consuetudine alibi etiam servatas, aliquid; aliud a parcho, vel actuali, vel habituali recipiatur, pro personarum conditione, distinctoque gradu, vel pro locorum ratione, aut dignitate, in quibus cadavera debent humari, sive in ecclesia sive in digniori ecclesiæ loco; tum etiam a sacris canonibus valde abhorere, quod episcopus aliquid exigat, vel accipiat pecuniæ pro quovis sive adulto, sive puero in quacumque diœcesis ecclesia, etiam regularium, sepeliendo, quemadmodum sacra congregatio Concilii declaravit adversus episcopum Vicen., et sacra congregatio Episcoporum in Gerunden. ad 10 apud Fagnan. in *cap. In ordinando, de simonia num. 32. et seqq.* non obstante quacumque contraria, etiam immemorabili, consuetudine, et quovis prætextu, nomine, aut colore.

In visitationibus episcopi abstinere se debent ab inutilibus sumptibus, ne diœcesis ultra debitum oneretur.

§. 28. In sacra item diœcesis visitatione omnem avaritiæ, ac turpis lucrisuspicionem facili negotio declinabit, et non quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi vos quærere, palam constabit, si, quæ concilii Tridentini Patres maxime hac de re commendarunt, accurate impleveritis: = *Caveant (Visitatores) ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosique sint, neve ipsi, aut*

quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relicis piis iure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda. Si tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero prædicta victualia subministrare = Sess. 24. cap. 3. de ref.

§. 29. Quo super decreto variæ subinde prodierunt declarationes et decreta sacre congregationis Concilii, quorum nonnulla hic lubet referre. Ac primo quidem disputatum sæpe fuit, an posset episcopus procurationes, quas vocant, exigere in visitatione cathedralis, et cleri civitatis, vel alterius loci, in quo is solet residere. Cum vero animadversum fuisset, procurationem a concilio Tridentino statutam fuisse pro visitatione diœcesis, nulla facta civitatis mentione; et præterea ab eodem concilio fuisse sancitum, ut victualia pro temporis tantum necessitate ministranda essent, quæ sane necessitas adesse non videtur, quando episcopus visitat loca, in quibus residere vel tenetur, vel solet aliqua saltem anni parte, sacra congregatio censuit, antiquos canones aliter hac de re disponentes, et contrariam quamlibet consuetudinem fuisse sublatam per citati concilii Tridentini decretum, ac proinde ad propositum dubium constanter negative respondit, præsertim in *Castren. procurationis 17. novemb. 1685. in Aliphana procurationis 18. julii 1705. in Policastren. procurationis 1. junii 1737. et novissime in Valentina 30. januarii 1768.* Eadem in sententia fuit sacra congregatio Episcoporum, ut liquet ex literis ad Venetiarum Patriarcham datis 26. maii 1592. non obstante consuetudine, aut quacumque alia re in contrarium.

Nec exigere procurationes, in visitatione cathedralis, vel cleri civitatis in qua is solet residere.

§. 30. Præterea quamvis in citato decreto concilii Tridentini, juxta ea, quæ habentur etiam in *cap. Si episcopus de off. Ordinarii in 6.*, expresse caveatur, ne episcopi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, exceptis tamen victualibus, aut pecunia victualibus respondente, si hanc,

Item nec quidquam aliud exceptis victualibus, aut pecunia victualibus respondente.

qui visitantur, solvere malint; nihilo tamen secius existimarunt nonnulli, fas sibi esse, vel præter pecuniam victualia quoque recipere, vel cum victualibus vecturas equorum pro se, suisque ministris, vel aliquid aliud sub civili aliquo titulo, aut prætextu. Hi tamen causa semper ceciderunt in sacra congregatione Concilii, eorumque agendi ratio tanquam a sacris canonibus, et concilio Tridentino aliena fuit constanter improbata. *In sancti Marci visitationis inter cætera dubia, duo, quæ sequuntur, proposita fuere: = V. An clerus teneatur quidquam solvere ministris aliisque officialibus episcopi visitantis? VI. An idem clerus teneatur solvere episcopo visitanti vecturas equorum?* = die 7. julii 1708. rescriptum fuit: = *Danda esse decreta alias edita, Et signanter ad V. in Amalphitana 18. jul. 1699. ad 3. lib. 49. Decret. pag. 252. Ad VI. in Aprutina decemb. 1784. lib. 4. Decr. pag. 10. =.* Sensus autem, qui hujusmodi responsionis inest, ex vi aliorum decretorum, quæ ibi indicantur, hic est, videlicet: = *Ad V. deberi victualia tantum ad formam concilii: ad VI. Negative* =. Rursus in alia causa sancti Marci plurium die 16. januarii 1723. ad III. dubium: = *An prædicta integra solita procuratio sit solvenda in illa solita quantitate pecuniæ juxta morem cujuscumque loci visitandi, et in tribus prandis dandis episcopo, ejusque comitatu, in vecturis, habitatione, et utensilibus necessariis juxta prætensam antiquissimam consuetudinem; et ad IV. An episcopo, ejusque comitatu debeantur cibaria, aliaque necessaria, toto tempore permanentiæ in visitatione?* = Sacra congregatio respondit ad III. = *esse in optione visitandorum solvere procurationem vel in victualibus, vel in pecunia, exclusis tribus prandis in casu solutionis pecuniæ; et quod vecturas equorum detur decretum 7. julii 1708. in sancti Marci ad VI.: Ad IV. provisum in tertio =.* Similiter in Policastren. procurationis cum quæsitum fuisset in II. dubio. = *An dictus episcopus possit exigere ab eodem archipresbytero, et clericis ultra procurationem ducatorum XV. in pecunia, victualia, et vecturas equorum pro se, et familia sua, in casu etc.?* = die 1. junii 1737. prodiit responsum ad II. = *Negative =.*

§. 31 Disceptatum quoque fuit, an episcopus, ejusque officiales aliquid emolumentum vindicare sibi possent, et exigere, dum in sac. visitatione testamenta ad pias causas, et legata pia re-

cognoscunt, eaque ut executioni tradantur, efficiunt. Qua de re sac. congregatio Concilii in una Majoricen. 7 augusti 1638 declaravit, non posse episcopum, et illius officiales recipere in visitatione salarium pro decretis, seu judicatura executionis legatorum piorum, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili. Non absimilis quæstio an. 1645 orta fuit inter episcopum Vicen. ex una, et juratos civitatis Minorissæ Pratorum, regis ex altera, qua delata ad eamdem sacram congregationem, prodiit resolutio sub die 18 martii dicti anni 1645 hunc in modum: *Sacra congregatio censuit, non posse episcopum, nec illius officiales in visitatione quidquam recipere pro decretis, seu judicatura executionis testamentorum, seu legatorum, sed gratis omnia fieri, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili; itemque extra visitationem per episcopum, et illius officiales quidquam recipi posse pro hujusmodi decretis, et judicatura, sed tantum aliquid moderate solvi notario pro scriptura, et illius labore in quo conscientia episcopi gravetur, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili.* = Hoc item resolutum fuit in Elnen. die 28 martii 1648 ad VIII. His addere alienum non erit, quod in concilio provinciali Mediolanen. V. sapientissime statutum legimus his verbis: *Notarius autem, cancellariusve ne quidquam pro visitatione ab iis, qui visitantur, ullo quovis nomine exigat, neque ullum doni, etiam pusilli, quocumque modo oblatus, genus accipiat; ac ne item pro decretorum, ordinationumve in visitatione confectarum dictione, vel conscriptione, earumve exemplo, etiam singulis vel ecclesiis, vel clericis, vel aliis qui visitantur, jussu visitationis edito. At pro opera, laboreve, quem alterius, cujus interest, illarum exempla, alio deinceps tempore, petentis causa, in iis exscribendis posuerit, mercedem capiat licet, pro taxæ in foro episcopali præfixæ, aut præfigendæ ratione.*

§. 32 Hæc omnia locum quoque habent in recognitione librorum legata pia, eorumque satisfactionem continentium, et in exigendis rationibus administrationum ecclesiarum, confraternitatum, montium pietatis, aliorumque piorum locorum, in quibus perficiendis tam episcopum, quam ejus officiales quoscumque gratis operam suam impendere debere, ac laborem, ut patet ex superius dictis, et aperte declaravit sac. congregatio Concilii in Vicen. 27

Quæ dispositio extenditur quoque ad recognitionem librorum ecclesiarum, confraternitatum, montium pietatis, aliorumque piorum locorum, et usum.

Non nec quidquam exigere dum testamta, et legata ad pias causas recognoscunt, et executioni committunt.

juuii 1637 decernens: *Neque episcopo, neque illius officialibus pro exigendis rationibus administrationis piorum operum, vel pro executionibus testamentorum, aut piarum voluntatum, licere quicquam recipere, sed illa gratis fieri debere, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili; et in Lancianen. confraternitatis die 20 septembris. 1710 ad X dubium, in quo quærebatur: An archiepiscopus debeat uti pro redditione rationis syndicis, seu rationalibus electis a confratribus, vel potius possit uti alio quocumque sibi bene viso: sac. congregatio respondit: negative quoad primam, et affirmative quoad secundam partem, sed gratis; tom. 6 thes. res. pag. 164* Quamvis autem episcopus curare omnino debeat, ut gratis revideantur huiusmodi libri, et ratio exigatur a notario proprio, vel œconomo suæ familiæ, vel ab alio quovis suo servitio addicto; fieri tamen aliquando potest, ut gravi, urgentique ex causa deputari oporteat pro huiusmodi munere aliquis extraneus, qui ad id nullo modo teneatur. Quoties vero id contingat, episcopi erit pro suo arbitrio, et conscientia aliquam prædicto revisori congruam mercedem assignare pro rata dumtaxat puri, et meri laboris, uti rescripsit sac. congregatio in *Verulana 30. Januarii 1682 lib. 35 decret. f. 283 in Beneventana 7. Julii 1683, et in Pisauren. 11 decem. ejusdemanni.*

Reprobantur
consuetudines
contrariæ

§. 33 Cum his porro sac. congregationis declarationibus firmissimo innixis fundamento sac. canonum; et præcit. decretis concilii Tridentini conciliari minime possunt consuetudines nonnullæ, seu potius corruptelæ, quarum vi episcopi, eorumque officiales, dum sacris vacant visitationibus, vel aliquid percipiunt emolumentum ex recognitione quorumvis testamentorum, et ex redditione rationum, quas ab ecclesiarum, piorumve locorum administratoribus exigunt; vel equorum vecturas, aut eorum saltem victum percipiunt toto visitationis tempore, vel sua demum facere contendunt lumina, seu candelas, quæ in arate templi principe, aut cæteris etiam in aris sacris positæ sunt. Quæ quidem omnia, et si quæ alia huiusmodi sunt prædictis sanctionibus contraria, auferenda penitus mandamus, ac præcipimus.

Conceditur
unice, ut episcopi eam moderatione, recipere valeant quartam canonicam.

§. 34 Quamvis autem ex superius citata sac. congregationis Concilii declaratione in *Vicen. Salarii 18 martii 1645* nequeat episcopus, aut illius officiales tam in visitatione, quam extra quid-

quam recipere pro decretis, seu iudicatura executionis testamentorum, seu legatorum; sed gratis omnia fieri debeant; potest tamen in sac. visitatione portionem sibi debitam sumere ex legatis piis, oblationibus, et aliis, quæ occasione funeris ecclesiæ obveniunt, quam portionem, seu quartam canonicam vulgo dicunt, uti ab eadem sac. congregatione rescriptum fuit in *Urgellen. 25 januar. 1676 et 14 februar. 1693 ad VIII. dubium.* Jus enim hoc habent episcopi ex sac. canonibus *cap. officii 14 et requisiti 5 de testamentis*, quos suo in robore voluit permanere concilium Tridentinum, ut patet ex eo, quod episcopis severissime prohibuit aliquid accipere pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis iure debetur: *cit. sess. 24 cap. 3 de ref.* Rectus tamen servandus est ab episcopis modus in hac portione, seu quarta canonica exigenda, observandique sunt limites ab iisdem sac. canonibus constituti *cap. finali de testamentis*, ubi hæc habentur: *De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, seu anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum legantur ecclesiæ, vel reliquis piis locis, canonica portio . . . deduci non debet.* Eadem ferme leguntur *cap. ex parte de verb. signif.* Præterea neque detrahatur ex legato relicto pro maritandis puellis, ut respondit sacra congregatio *Episcoporum in Nucerna paganorum 14. septembris 1592;* neque ex legato pro celebratione missarum, quamvis ab immemorabili eadem quarta ex omnibus legatis piis episcopo solveretur, ut declaravit sacra congregatio Concilii in alia item *Nucerna paganorum quartæ canonice 13. Januarii 1714. lib. 64. decret.*

§. 35. Quoad monialium vero monasteria, vel conservatoria mulierum, quæ instar monialium vitam agunt a sæculi negotiis alienam, ac solitariam, illud generatim statutum sæpe fuit ab apostolicis constitutionibus, et a sacra congregatione Episcoporum, et Regularium, ipsis summis Pontificibus antiquibus, suaque auctoritate approbantibus, ne episcopi, aliive prælati, aut eorum vicarii generales, vel specialiter delegati, officiales, ministri, consanguinei, aut familiares ullum prorsus emolumentum pecuniæ, alteriusve rei exigere, vel percipere possint pro admissione puellarum ad habitum monasticum, pro exploratione voluntatis, et recognitione dotis, aliisque id generis.

Nihil pariter recipere episcopi, vel eorum ministri possunt pro admissione puellarum ad habitum monasticum, exploratione voluntatis, et recognitione dotis, aliisque id generis.

assumendi regularis vitæ institutum, pro emissione professionis, pro puellarum ingressu educationis gratia, pro renunciationibus, antequam ad professionem admittantur, pro electione abbatissæ, vel alterius superiorissæ, pro licentiis ingrediendi monasterium medicis, chirurgis, aliisque operariis concedendis, pro facultate alloquendi moniales, vel alias intra monasterii claustra degentes, pro delegatione confessoriorum, capellanorum, procuratorum, administratorum bonorum temporalium, aliorumque ministrorum, ac generatim pro actu quolibet ad monialium regimen necessario.

Excipitur
unice receptio
victualium, et
taxa cancellarii
pro labora

§. 36. Ab hac tamen generali regula excipi possunt victualia, quæ occasione nonnullorum ex prædictis actibus episcopa, vel alii præfato imperiuntur; dummodo hæc ex solius muneris, seu donationis titulo tribuantur, et eam non excedant quantitatem, quæ trium dierum spatio proprio illorum usui possit sufficere. Cancellarius vero pro renunciationum instrumento, et pro actu depositi dotis mercedem recipiet labori convenientem, nunquam tamen iuliis decem majorem.

Contentus esse
episcopus debet
de redditibus mensæ
cuncta sacra,
vel pia in diocesi
ministret

§. 37. Præter hæc sunt alia plura, quæ cum ad spiritualis potestatis exercitium pertineant, a quo humana quælibet debet quam longissime exulare retributio, vel ad episcopale spectent munus, pro quo sustinendo, exercendoque redditus mensæ sunt episcopis assignati, nullum prorsus emolumentum directe, vel indirecte, quovis prætextu, aut colore, etiam muneris, aut spontanæ oblationis, licet eisdem recipere, quemadmodum nec eorum vicariis, officialibus quibuscumque, aut familiaribus. Singula, vel potiora saltem hic vobis indicamus, venerabiles fratres, ex sacris canonibus, apostolicis constitutionibus, et sac. congregationum decretis deducta, quorum frequens est apud doctores, et satis vulgata mentio.

Enumerantur
præcipua munera
quæ gratis præstanda
sunt ab episcopis.

§. 38. Pro literis, ut vocant, patentibus, seu licentia prædicandi tam in quadragesima, et adventu, quam alio quovis tempore, aut loco. *Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de reform.*

Pro licentia operibus servilibus gravi ex causa vacandi diebus festis; *Urban. VIII., constit. Universa, et pluries sac. congregationes Concilii, et Episcoporum apud Ferrar. verb. festa numer. 31., et seq.* quamvis pecunia, quæ ea ex licentia percipitur, in pios usus esset eroganda.

Pro redditione rationis administrationis ecclesiarum, et locorum pio-

rum, ac pro revisione librorum ejusdem administrationis, sive ea ab episcopo fiat, sive ab alio delegatione generali, sive speciali ab episcopo deputato, cum exceptione tamen superius indicata.

Pro cognitione, approbatione, et promulgatione reliquiarum, indulgentiarum, et altarium privilegiatorum.

Pro facultate elemosynas, vel alia quæritandi, etiamsi alienigenis ea concedatur.

Pro deputatione custodum ecclesiarum, vulgo eremitarum.

Pro literis testimonialibus de paupertate, vel alia qualitate. Cancellarius tamen omnibus computatis, obulos decem percipere poterit.

Pro literis quoque, quibus significatur, aliquem nullo ordine, neque clericali tonsura esse initiatum. Cancellario autem obuli tantummodo decem poterunt præstari.

Pro actu renunciationis status clericalis, ejusque admissione, tum etiam pro literis, seu attestazione ejusdem renunciationis. Pro his tamen literis cancellarius obulos decem exigere poterit.

Pro perquisitione librorum parochialium apud archivium episcopale jam reconditorum, in quibus descripti sunt baptizati, confirmati, matrimonio juncti, atque mortui, pro singulis libris ad alicujus petitionem perquirendis liceat cancellario exigere obulos viginti dumtaxat, totidemque pro fide particulæ extrahendæ, quin fas sit majus accipere emolumentum sive pro dignitate personæ id petentis, sive testimoniales literæ usui futuræ sint extra diocesim, vel extra regnum.

Si autem contingat ea de re, cujus petitur testificatio, haud constare ex iisdem parochialibus libris, proptereaque necesse sit probationem ex testibus comparare, tunc præter mercedem ad præscriptam rationem cancellario pro examine testium, ac pro scriptura præfinitam, licitum sit eidem alios accipere obulos quindecim pro literis testimonialibus edendis; vicario autem generali solvantur obuli triginta pro decretis, quibus informationem mandaverit capiendam, eaque capta, et ab ipso discussa, testimoniales jubebit expediendas.

Pro licentia discedendi ab ecclesiis, vel beneficiis, *Conc. Trid. ses. 23. cap. 1. de ref.* Item pro literis commendatiis, quæ impertiuntur præbyteris, clericis, aut aliis ad alienas dioceses profecturis.

Pro literis monitorialibus excommunicationis ad rerum occultarum manifestationem, siue ex concedantur ab ipsa curia episcopali, et ab Ordinario, siue publicandæ sint literæ monitoriales apostolicæ. Cancellarius vero pro scripturæ labore mercedem recipiet obulorum decem. Aliquo etiam emolumento ab episcopo pro sua conscientia taxando idem tantummodo cancellarius donabitur pro eorum, quæ revelantur, exemplari, prævio vicarii decreto, conficiendo.

Pro comminatione, sententia, aut declaratione censurarum, in quas vel ex clericorum percussione, vel alia quavis ex causa quis incurrerit; tum etiam pro sententia absolutoria, et absolutione ipsa a censuris; *cap. ad aures de simonia*. Cancellarius vero obulos tantum viginti exigere poterit pro scripturæ mercede, dummodo non agatur de exequentis literis sacræ pœnitentiariæ apostolicæ; tunc enim pro iis, quæ ad prædictam pertinent absolutionem, ne cancellarius quidem emolumentum aliquod poterit recipere. Obuli etiam viginti solvi poterunt cancellario pro censurarum schedulis, vulgo cedulonibus, et pro iisdem de more affigendis. Idem servandum erit pro absolutione a iurejurando, ita tamen ut si in curia ecclesiastica eadem absolutio concedatur, pro attestazione cancellario tantum obuli viginti, si vero extra curiam pro literis delegationis obuli totidem eidem dumtaxat cancellario rependantur.

Pro facultate exercendi pontificalia,

Pro executione literarum apostolicarum, impartendi benedictiones, vel absolutiones; pro literis vero, quibus eadem facultas parochis, vel aliis quibusvis committitur cum insertione dictarum literarum apostolicarum, omnibus computatis, cancellario tantum obuli triginta solvantur.

Pro executione literarum apostolicarum, seu facultatis a sacra congregatione impetratæ alienandi, vel permu- tandi bona ecclesiarum, locorumque piorum, vel census imponendi, cancellarius tantummodo mercedem suo aptam labori in conficiendis actis, seu scriptura recipiet, quæ tamen juliis decem non sit major. Quod si a sancta Sede commissum fuerit Ordinario, ut in eorum inquirat veritatem, quæ in supplici exponuntur libello, tunc cancellario obuli decem assignentur in singulos testes, qui examini subjiciuntur. Habitaque etiam laboris ratione, merces aliqua constitui

eidem poterit ad episcopi arbitrium, et conscientiam pro edictis, quoties præscripta hæc fuerint, et pro examinandis testibus ad probandam utilitatem alienationis, et pro cæteris omnibus de more hac in re perficiendis.

Pro decreto alienationum, quæ *vi cap. terrulas 12. q. 2.* auctoritate tantum ordinaria fiunt.

§. 39. Mulctæ demum, seu pœnæ pecuniariæ, si quando juxta rationem delicti, vel delinquentis qualitatem eas imponi contigerit, in pios dumtaxat usus, et pro executione justitiæ ita expendantur, ut privatæ episcoporum utilitati, eorumque vicariorum, aut officialium quorumcumque nihil ex iis directe, vel indirecte possit ullo modo provenire. Ut vero omnis dubitatio tollatur, aut suspicio de non recta mulctarum applicatione, optimum erit, quinimmo necessarium putamus, ut ipsis in sententiis loca pia designentur, vel ecclesiæ, in quarum commodum prædictæ pœnæ pecuniariæ cedere omnino debent, habita semper ratione earum, quæ magis indigent, tum etiam domicilii eorum, qui deliquerint.

§. 40. Aliqua addenda nunc essent forum contentiosum spectantia, ut ecclesiastica disciplina hoc etiam ex capite in pristinum suum splendorem revocaretur, ac dignitatem. De his vero maturiori iudicio, et ubi certiores facti plénissime erimus de consuetudinibus, quæ istis in diœcesibus obtinent, erit deliberandum. Unum tamen interim est, quod taciti præterire nullo modo possumus, quinimmo vobis magnopere inculcare cogimur, ac præcipere, ut, qui ferendis sententiis in causis spiritualibus dant operam ecclesiastici viri, ea sanctitate, pietate, ac religione ministerium impleant suum, ut nihil in iis appareat, quod ecclesiasticæ puritatis candori ne minimum quidem tenebris offundat. Id tum demum abunde sequetur, quum quicumque apud vos sunt ecclesiastici iudices, nihil emolumenti exigent, vel accipient pro quibusvis actis etiam pro sententiis dicendis in causis spiritualibus, et in iis præsertim, quæ circa religionem versantur, veluti adversus suspectos de hæresi, et superstitionis reos, vel in quibus de sponsalibus agitur, de matrimoniis, de censuris, aliisque. Quamobrem = *Attendentes*, verba sunt Innocentii III. ad prælatos, et clericos Lombardiæ *cap. cum ab omni de vita, et honestate clericorum = quod ad hoc vobis, et aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis*

Mulctæ, seu pœnæ pecuniariæ ab episcopis inflictæ in pios usus convertendæ sunt.

Regulæ indigentur servanda in foro contentioso ecclesiastico

honeste vivere debeat, ne vos oporteat ad turpia lucra manus extendere, vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cum ergo opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos deceat ad instar sæcularium ad turpe commercium juris occasionem arripere; mandamus, atque præcipimus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de caetero abstinentes, vigorem judicarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante, quod in fraudem a quibusdam proponitur, quod idem exigatur nomine assessorum, cum nec justum iudicium iudici vendere liceat, et venales sententiæ ipsis etiam sæcularibus legibus improbentur =.

Constitutionis observantia præcipitur, derogatis omnibus in contrarium facientibus.

§. 41. Hæc sunt, venerabiles fratres, quæ pro apostolico, quo fungimur, munere, ac ex debito suscepti regiminis vobis duximus proponenda. Hæc item sunt, quæ si rite a vobis, ut in Domino confidimus, perficiantur, ecclesiasticæ disciplinæ splendori, conscientiarum vestrarum tranquillitati, egregioque vobis ovium creditarum regimini maxime consulent, ac prospicient. Gravia hæc vobis futura, ac molesta non putamus, quamvis ex his aliquid vobis de consuetis emolumentis subtractum iri perspiciamus. Id de vobis vel leviter suspicari vetat perspecta in primis vestra pietas, probata religio; ecclesiasticæ conservandæ disciplinæ studium, quibus profecto fiet, ut quæ vobis hactenus fuerunt lucra, eadem in posterum arbitrii propter Christum detrimenta, veramque lucri rationem in eo tantummodo constituatis, ut Dei optimi maximi cultus magis magisque apud vos augeatur, populique fidei vestræ, ac religioni commissi verbo, et exemplo a vobis facilius, feliciusque pascantur. Accedit præterea, ab iis, qui in ecclesiasticis istius insulæ rebus versati optime sunt, ac regio præsertim nomine edoctos Nos plene fuisse, ac diligenter instructos, eos vobis esse redditos, qui, paucis etiam emolumentis subductis, quæ vobis posthac nefas erit exigere, vel percipere, episcopali dignitati, ac decori respondeant, et ecclesiarum sufficienti necessitati. Ne vero aliquid vobis præsidii esse putetis in iis, quibus usque adhuc innixi estis consuetudinibus, licet antiquissimis, memores vos esse oportet præclaræ Alexandri III. sententiæ cap. cum in ecclesia, de simonia, qua summus ille Pontifex eos compellabat, qui minus recte suis inhærebant consuetudinibus. *Putant autem plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbi-*

trantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam tenuerunt alligatam =. Has itaque consuetudines, etiam antiquissimas, ac immemorabiles, et synodalibus firmatas constitutionibus, vel alia quavis auctoritate, etiam Apostolica, alias roboratas improbamus, damnamus, ac pro abusu, et corruptelis habendas esse declaramus, statuimus, præcipimus. Sollicitudini, quæ Nobis inest, ecclesiarum vestrarum, ut præsentis literæ satis indicant, vos studio, diligentia, ac industria vestra minime defecturos, certa Nobis spes est, atque firmissima. Interim vero in paternæ erga vos dilectionis, ac benevolentiae pignus, apostolicam vobis benedictionem impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die 21. septembris 1769. pontificatus Nostri anno primo.

XV.

Dat. die 18
Septem. 1769.
Anno I.

Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XIV. literæ apostolicæ, quibus privilegia, gratiæ, et indulta alias a summis Pontificibus prædecessoribus ordini sancti Pauli primi eremitæ concessa, perpetuo confirmantur, et approbantur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **E**x inuncti Nobis divinitus pastoralis officii debito illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri in favorem eorum, qui sub snavi religionis jugo mancipati sunt, fideli dispensatione, prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper, atque stabilia persistant apostolici muniminis Nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Proemium

§. 2. Exponi siquidem Nobis fecit nuper dilectus filius Paulus Eszterhazy prior generalis ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitæ, quod nonnulli Romani Pontifices prædecessores Nostri, ac præsertim Joannes XXII. Clemens VI. Urbanus V. Gregorius XI. Bonifacius IX. Martinus V. Eugenius IV. Pius II. Innocentius VIII. Clemens VII. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Alexander VII. et Clemens X. prædicto ordini, ejusque fratribus nonnulla privilegia, gratias, et

Expositio precum pertractarum.

indulta per suas, sive sub plumbo, sive in simili forma Brevis respective expeditas literas concesserunt, ac indulserunt, et alias prout in eisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, privilegia, gratias, et indulta hujusmodi dictus Paulus per Nos confirmari, et approbari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio
tributa.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis sequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfata privilegia, gratias, et indulta eidem ordini, suisque fratribus a prædictis, aliisque Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessa, et elargita, dummodo sint in usu, et sacris canonibus, concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublatâ, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscunque judices, ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum in arce Gandulphi Albanen. diocesis sub annulo piscatoris die xxviii. septemb. MDCCLXIX pontificatus Nostrî anno primo,

XVI.

Dat. die 4.
Nov. 1789.
Anno I.

Quid juris sanctæ Sedi competat in vacationibus episcopatum in Germania pertractatur, et definitur.

Frisingen, et Ratisbonen.

§. 1. **C**on decreto della sagra congregazione Concistoriale degli 11 marzo scorso fu concessa all'eminentissimo principe Clemente di Sassonia elettore di Treveri la ritenzione dell'amministrazione della chiesa di Frisigna, e Ratisbona fino a tanto che si fosse fatto luogo alla sua successione nella chiesa di Augusta, alla quale era già stato dato precedentemente in coadjutore. Susseguentemente nelle bolle della provista di detta chiesa di Treveri fu espressa la condizione = Volumus quod postquam dicti coadjutoris officium cessaverit, ac successioni dictæ ecclesiæ Augustanæ locus factus fuerit dictarum ecclesiarum Frisigen, et Ratisbonen administrationis cesset, ipsæ ecclesiæ vacent eo ipso ».

Acta concistorialia habita hac sup er re

§. 2. Defonto ai 20 agosto passato monsignor vescovo d'Augusta, il principe Clemente elettore di Treveri ha preso l'effettivo possesso di detta chiesa d'Augusta, ma non per questo ha dimessa di fatto l'amministrazione delle altre due di Frisigna, e Ratisbona, seguitando a governarle per mezzo de'suoi ministri, ed ufficiali, ed ha avanzato supplica a nostro Signore per ottenere nuova grazia, cioè della ritenzione ad vitam d'ambidue le dette chiese, simultaneamente con quelle di Treveri, e d'Augusta, o almeno per quella di Frisigna ad vitam, e per quella di Ratisbona ad quinquennium.

Facti expositio

§. 3. Intanto ai 18. d'ottobre radunatis nove dei 14. canonici, che compongono il capitolo di Frisigna, essendosi gli altri cinque assenti scusati dall'intervenirvi, fu fatta fra essi la proposizione se dovevasi riguardare come attualmente vacata la loro chiesa, e per conseguenza come venuto il caso di nuova elezione. Tre sostennero l'affermativa, gli altri credendo non doversi dire vacata la chiesa fino che non costi dell'espressa volontà della santa Sede, furono anzi di sentimento, che si ricorresse a nostro Signore acciò si degni di far contiare il principe Clemente nell'amministrazione della chiesa medesima. Gli uni, e gli altri hanno fatto le formali loro rispettive istanze a nostro

Quid capitulum in subiecta reputasset referetur.

Signore, e i tre primi dimandano specialmente, che Sua Santità si degni di prorogare loro il trimestre canonico stabilito per l'elezioni, che spirerà ai 20 novembre ad un altro mese di più.

Quid cum germanicis imperatoribus conventum fuisset a S. M. Nicolao V. commemoratur.

§. 4. Suppongono questi capitolari, che cessata l'amministrazione delle suddette chiese si devolva ai capitoli il jus di eleggere il nuovo vescovo. Ma al contrario la Sede apostolica ha un fondato diritto di provvedere ella liberamente ambedue le chiese in virtù del concordato di Nicolò V. con cui si dispone, che rimaner debbano affette alla libera disposizione della santa Sede quelle chiese, che vacano per traslazione de' loro vescovi fatta per autorità apostolica ad altre chiese. In tal modo appunto vacano al presente le chiese di Frisigna, e Ratisbona, e perciò non è da mettersi in dubbio, che le medesime non debbano spettare alla libera provvista della Sede apostolica.

S. Sedes in casibus vacationis per translationem specialia indulta concedere consuevit.

§. 5. Vero si è però, che nei varj casi occorsi di vacanze delle chiese di Germania per translationem, la santa Sede è stata solita di concedere dei speciali indulti ai capitoli di poter venire per quella sol volta, et ex speciali gratia all'elezione del vescovo successore. Così appunto successe nell'anno 1694. in cui passando il principe Clemente di Baviera alla chiesa di Liegi, quelle di Frisigna, e di Ratisbona, che egli aveva ritenute fin allora in amministrazione, rimasero vacanti, e la congregazione Concistoriale dei 24 settembre 1694. » censuit, ex speciali gratia, et indulgentia Sanctitatis Suae concedi posse » capitulis, et canonicis eorundem ecclesiarum facultatem deveniendi juxta » sacrorum canonum dispositionem ad » electionem suorum respective episcoporum ». E così in fatti seguì.

Et hanc consuetudinem optimam censuit s. congregatio concistorialis

§. 6. Sulla scorta di un tale esempio ognun vede, che qualora la Sede apostolica non volesse in questo caso venire alla libera provvista delle suddette chiese, potrebbe almeno preservare intendi i propri diritti nell'occasione presente, col dare ai rispettivi capitoli un indulto, affinché passano essi procedere a nuova elezione, ma con ciò non si soddisferebbe nè l'eminentissimo elettore di Treveri, che chiede la ritenzione nel modo di sopra espresso, nè la corte Cesarea, la quale con gran premura appoggia l'istanze suddette per la ritenzione almeno di una delle due chiese.

Et quid in subiecta materia esset s. Sedi insinuandum statuitur

§. 7. Resta dunque ad esaminarsi se codesta sacra congregazione creda di poter consigliare la Santità di nostro Si-

gnore ad esaudire le suppliche suddette, ed in qual modo.

1. Se per una chiesa sola, o per ambedue?

2. Et quatenus affirmative; Se una tal ritenzione abbia a concedersi in linea di proroga di quel primo indulto, che già ebbe l'eminentissimo elettore nel marzo scorso, o pure per nuova concessione?

3. Qualora si conceda la ritenzione di una sola chiesa, ciò, che debba farsi rispetto all'altra, che rimarrà vacante? Se provvedersi ex integro dalla Santità di nostro Signore, o pure concedersi a quel capitolo l'indulto di procedere all'elezione?

4. Qual giudizio debba farsi degli atti, che ha esercitati l'eminentissimo elettore nel governo delle due chiese, da che si è fatto luogo alla successione Augusta?

La risoluzione del primo articolo dipenderà dal giudizio, che l'EE. VV. formeranno dell'utilità, che sia per recare alle chiese suddette nelle circostanze delle medesime non meno dei tempi correnti. La continuazione della loro amministrazione in persona di un principe fornito di tanto zelo, pietà, e potenti aderenze in tutta l'Europa, e in specie nell'impero, come è l'eminentissimo elettore di Treveri; e se tali riflessioni sieno così forti da poter superare la giusta ripugnanza, che altrimenti si avrebbe di derogare su questo punto a tante disposizioni canoniche, e al decreto medesimo di questa sacra congregazione degli 11 marzo scorso, molto più se non per una sola, ma per ambedue le chiese concedere si pensasse la ritenzione.

Più implicita però sarà la risoluzione del 2. articolo, affine d'ovviare a qualunque contraddizione dei capitoli, qualora si opponessero alla grazia apostolica.

§. 8. In vigore del decreto concistoriale degli 11. marzo scorso, e delle bolle della provvista della chiesa di Treveri sono vacate ambedue le chiese di Frisigna e Ratisbona eo ipso, e si è fatto luogo alla successione d'Augusta, e che l'eminentissimo elettore ne è entrato in attuale possesso, benchè incontrovertibile sembri una tale vacanza, può nascere però dubbio se per essa continuino le medesime chiese ad essere affette alla libera disposizione di nostro Signore, o pure non siano piuttosto rientrati quei capitoli nel preteso loro diritto di venire a nuova elezione. Per parte nostra

Refertur tenor alterius decreti ipsius congregationis, Consistorialis super vacatione ecclesiarum Frisingensium et Ratisbouen ob subsecutam successionem Augustanam.

possono considerarsi dette chiese come rimaste, dopo la cessazione dell'amministrazione temporanea, vacanti nello stesso modo con cui erano vacate prima che si concedesse l'indulto dell'amministrazione, cioè come vacanti, tuttavia per translationem del loro vescovo alla chiesa di Treveri; e che perciò, seguitando esse a vacare per traslazione, rimanere debbano affette come prima alla disposizione apostolica.

Reforuntur exceptiones, quae apponi possent a capitulis, ut ad novam electionem, seu postulationem descendere.

§. 9. Potrebbero però in contrario dire i capitoli, che quel diritto che la Sede apostolica ha dai concordati sia già stato da loro consumato mediante la ritenzione, che fu già accordata nelro scorso marzo all' eminentissimo elettore, e che la Santità di nostro Signore non debba più di una volta prevalersene non vacando più tali chiese immediatamente per translationem, ma bensì, e soltanto per cessationem simplicis administrationis.

Exceptiones ipsae profligantur

§. 10. Per altro può riflettersi nel caso nostro, che la ritenzione già concessa al principe Clemente fu temporanea, non perpetua; che gli autori tedeschi hanno bensì preteso, che la ritenzione perpetua equivalga alla collazione in titolo, e che perciò consumi la vacanza della chiesa apud sanctam Sedem, che dava a questa il diritto di liberamente provvedere quella chiesa; ma niuno ha finora detto, che una ritenzione temporanea, come è stata quella concessa al principe suddetto, operi lo stesso effetto, perchè questa in fatti non può equivalere ad una collazione in titolo, non mutando punto la persona, che la godeva prima; cosicchè una tale grazia non fa in certo modo, che impedire la vacanza facendo continuare la reggenza della chiesa in quella stessa persona, che era stata già eletta, senza che abbia bisogno di nuovo possesso, e di altra facoltà.

Quid consilii sit capiendum in subjecta materia definitur

§. 11. In sequela di questo principio, se l'EE. VV. crederanno potersi accordare all'elettore l'amministrazione in questione, resterà a vedersi se questa dovrà darsi per nuova concessione, o pure per via di proroga del precedente indulto.

Excluditur consilium procedendi ad novam concessionem.

§. 12. Se si fa per via di nuova concessione, si dovrà fare anza ai capitoli di pretendere, che sia questa una nuova provvista di Sua Santità, la quale per le ragioni sopra divisate potrebbe essere in qualche modo da essi contraddetta. Laddove la proroga dell'indulto dimostrerà, che la santa Sede estendendo ad un'amministrazione perpetua quella,

che da principio ella aveva concessa ad tempus, viene ora a disporne in sequela di quel diritto, che le competeva fino da quando l'eminentissimo elettore passò dalle chiese di Frisinga, e Ratisbona a quella di Treveri, che la clausola di vacanza *eo ipso* intendere sempre si debba di vacanza in curia » ubi = actus vacationis sequitur, Rigant. ad » regul. I. can. §. 7. n. 51 et 225.

§. 13. Riguardo al terzo punto, sembra, che qualora sia per negarsi all'eminentissimo elettore la richiesta ritenzione, si possa per ovviare a qualunque contraddizione, dare ai capitoli il solito Breve di facoltà per venire a nuova elezione, come si è praticato in altri simili casi. Quanto poi al quarto, nel caso parimenti, in cui all'eminentissimo elettore niuna ritenzione si conceda, sarà necessario di sanare tutti gli atti da lui esercitati nel governo di dette due chiese, da che si è fatto luogo alla sua successione in Augusta. Ma qualora gli si concedesse la ritenzione di una, o di ambedue le chiese, sarà allora da esaminarsi se tal sanazione convenga darla segretamente, o pubblicamente, se ad cautelam, o in altro modo per non dare ai capitoli occasione d'arguire, che la santa Sede con un fatto suo proprio confessi l'effettiva attuale vacanza di dette chiese, la quale essi non vorranno mai riconoscere come seguita apud Sedem, e in curia.

Suadet, ut indulgeatur capitulis prorogatio temporis ad eligendum, seu postulandum.

Frisingen. prorogationis temporis ad eligendum, seu postulandum.

§. 14. Quum juxta decretum diei 11 elapsi mensis martii sacra congregatio Consistorialis censuerit regio principii Clementi ex serenissimis Saxoniae ducibus in archiepiscopum, et S. R. I. principem electorem Trevirensis electo, ac confirmato concedendam esse retentionem coadjutoriae cum futura successione ecclesiae Augustanae, nec non retentionem in administrationem ecclesiarum cathedralium Frisingen. et Ratisbonen., donec tamen successioni in praefata ecclesia Augustana ad ejus favorem locus factus fuisset: quumque per obitum R. P. D. Josephi principis ab Hassia Darmstat episcopi Augustani, successioni hujusmodi loco jam facto, cessaverit administratio praedictarum ecclesiarum Frisingen., et Ratisbonen. Eadem sacra congregatio Consistorialis putavit pro hac vice tantum, et ex speciali gratia, et indulgentia prorogandum esse capitulo Frisingensi tempus duo-

Pro tollendis dissidiis censuit sancta sedes capitulo facultates prorogare ad eligendum, seu postulandum novum episcopum.

rum mensium a die 20 currentis mensis novembris in antea computandorum ad eligendum, seu postulandum itaut intra dictum tempus ad electionem seu postulationem hujusmodi procedere possit, et valeat juxta sacrorum canonum dispositionem, etiamsi ecclesia prædicta Frisingensis Sanctitatis Suxæ, et Sedis apostolicæ dispositioni servata seu affecta quovis modo etiam juxta concordata inter Sedem apostolicam prædictam et inclitam nationem Germanicam inita, existat perinde, ac si ipsa ecclesia Sanctitatis suæ, et sanctæ Sedis dispositioni nullatenus reservata, seu affecta esset: factaque per me infrascriptum secretarium relatione, Sanctitas sua non solum sacræ congregationis sententiam approbavit, verum etiam instante eodem regio principe Clemente benignissime indulset, atque concessit ipsi capitulo Frisingensi uberio rem temporis prorogationem usque ad tres menses a die nempe 20 novembris ut supra computandos, et ita præsens decretum per literas apostolicas in forma Brevis expediendum inter acta sacræ congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romæ die iv. novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo.

Ratisbonen. prorogationis temporis ad eligendum seu postulandum

§. 15. Quum juxta decretum diei xi. elapsi mensis martii sacra congregatio Consistorialis censuerit regio principi Clementi ex serenissimis Saxonie ducibus in archiepiscopum, et S. R. I. principem electorem Trevirensis electo, ac confirmato concedendam esse retentionem coadjutorie cum futura successione ecclesie Augustanæ, nec non retentionem in administrationem ecclesiarum cathedralium Frisingen. et Ratisbonen. donec tamen successioni in præfata ecclesia Augustana ad ejus favorem locus factus fuisset. Quumque per obitum R. P. D. Josephi principis ab Hassia Darmstat episcopi Augustani successioni hujusmodi loco jam facto, cessaverit administratio prædictarum ecclesiarum Frisingen., et Ratisbonen. Eadem sacra congregatio Consistorialis putavit, pro hac vice tantum, et ex speciali gratia, et indulgentia prorogandum esse capitulo Ratisbonensi tempus duorum mensium a die xx. currentis mensis novembris in antea computandorum ad eligendum seu postulandum, itaut intra dictum tempus ad electionem, seu postulationem hujusmodi procedere possit, et valeat juxta sacrorum cano-

rum dispositionem, etiamsi ecclesia prædicta Ratisbonensis Sanctitatis Suxæ, et Sedis apostolicæ dispositioni reservata, seu affecta quovis modo etiam juxta concordata inter Sedem apostolicam prædictam, et inclitam nationem Germanicam inita existat, perinde, ac si ipsa ecclesia Sanctitatis Suxæ, et sanctæ Sedis dispositioni nullatenus reservata, seu affecta esset: factaque per me infrascriptum secretarium relatione, Sanctitas Sua non solum sacræ congregationis sententiam approbavit, verum etiam, instante eodem regio principe Clemente, benignissime indulset, atque concessit ipsi capitulo Ratisbonensi uberio rem temporis prorogationem usque ad tres menses a die xx. novembris ut supra computandos, et ita præsens decretum per literas apostolicas in forma Brevis expediendum inter acta sacræ congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romæ die iv. novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo.

Frisingen., et Ratisbonen. indulti eligibilitatis.

§. 16. Quum juxta decretum diei xi. elapsi mensis martii sacra congregatio Consistorialis censuerit, regio principi Clementi ex serenissimis Saxonie ducibus in archiepiscopum, et S. R. I. principem electorem Trevirensis electo, ac confirmato concedendam esse retentionem coadjutorie cum futura successione ecclesie Augustanæ, nec non retentionem in administrationem ecclesiarum cathedralium Frisingen. et Ratisbonen., donec tamen successioni in præfata ecclesia Augustana ad ejus favorem locus factus fuisset: quumque per obitum R. P. D. Josephi principis ab Hassia Darmstat episcopi Augustani successioni hujusmodi loco jam facto, cessaverit administratio prædictarum ecclesiarum Frisingen. et Ratisbonen. idem autem princeps Clemens Sanctissimo Domino Nostro humiles preces obtulerit, ut sibi concedere dignaretur indultum eligibilitatis, vi cujus eligi rursus possit ad easdem ecclesias, Sanctitas Sua ad mei infrascripti relationem gratia hujusmodi indulti per literas apostolicas in forma Brevis expediendi benigne annuit, ita tamen ut si contingeret, electiones de ejus persona in utraque ecclesia ab earum respective capitulis celebrari, uni earundem dumtaxat, quam maluerit consensum suum præstare, et ejusmodi, quam maluerit ecclesiam, postquam ab apostolica Sede electionis actus confirmatus fuerit, in administrationem ad

Tertium rescriptum, quo indulgetur retentione coadjutoria cum futura successione.

Secundum rescriptum quo par prorogatio temporis ad eligendum conceditur.

sui vitam una cum titulo sui archiepiscopatus Trevirensis, et cum ecclesia Augustana, quam in similem administrationem ex dispensatione apostolica obtinet, nec non cum canonicatu ecclesie metropolitanæ Colonien. acceptare, ac respective retinere libere, licite, et valide possit, et valeat quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac præsertim motu proprio sa. me. Clementis Papa XII. sub die quinta januarii anni MDCCXXXI. edito quibus pro hac vice tantum plenissime derogavit; mandavitque huiusmodi decretum referri inter acta sacræ congregationis Consistorialis. Datum Romæ die quinta novembris MDCCCLXVIII.

Dat. die 8.
Nov. 1769.
Anno L.

XVII.

De eodem argumento agitur, et tempus ad eligendum conceditur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Facti expositio

§. 1. **A**lias Nos venerabilem fratrem Clementem Wenceslaum e ducibus Saxonie episcopum Frisingen. et administratorem ecclesie Ratisbonen. ac simul coadjutorem cum futura successione ecclesie Augustanæ provincie Moguntin. ad electionem dictorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesie metropolitanæ, ad quos occurrente illius vacatione electio personæ idoneæ illi ad electionem huiusmodi Romanum Pontificem pro tempore existentem præficiendæ, juxta concordata dudum inter Sedem apostolicam, et inclitam nationem Germanicam inita spectare dignoscatur, a vinculo quo idem Clemens Wenceslaus prædictæ Frisingen. tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, et apostolicæ potestatis plenitudine absolventes ad prædictam metropolitanam ecclesiam transtulimus, illique in archiepiscopum præfecimus, et pastorem eidemque Clementi Wenceslao, ut ipse una cum prædicta ecclesia Treviren. dictas Frisingen., et Ratisbonen. ecclesias in administrationem retinere posset, donec tamen, et quousque successioni præfate locus factus fuisset, nec non præfatum coadjutoris officium ut prius exercere, illo vero cessante, et loco facto huiusmodi successioni præfatum ecclesiam

Augustanam etiam in administrationem cum eadem ecclesia Treviren. pariter retinere valeret concessimus, et indulgimus: postquam autem dictum coadjutoris officium cessasset, et successioni dictæ ecclesie Augustanæ ad sui favorem locus factus fuisset, ut præfertur, dictarum ecclesiarum Frisingen. et Ratisbonen. administrationem cessare, ipsasque ecclesias vacare decrevimus, et mandavimus, ac alias prout in nostris desuper sub plumbo anno incarnationis millesimo septingentesimo sexagesimo octavo pridie idus martii expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continentur. Cum autem sicut nuper accepimus per obitum bo. me. Josephi dum vixit episcopi Augustan. provincie præfate successioni huiusmodi loco jam facto, administratio præfatarum ecclesiarum Frisingen. et Ratisbonen. cessaverit:

§. 2. Nos dilectis filiis capitulo, et canonicis ecclesie Ratisbonen. speciali gratiam facere volentes, et supplicationibus quoque ex parte, ac nomine ejusdem Clementis Wenceslai ultimo loco Nobis desuper humiliter porrectis inclinatis, eorumdem capituli, et canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore, censentes, ut maturius, et consultius ad electionem, vel postulationem pastoris idonei, qui eidem ecclesie verbo, et exemplo præesse, et prodesse possit, quemadmodum ipsius ecclesie conditio postulat, et officii nostri ratio requirit, devenire valeant, tempus alias a sacris canonibus ad electiones, seu postulationes huiusmodi celebrandas præscriptum ad tres menses a die vigesima decurrentis novembris in antea computan. intra quos ipsi canonici, et capitulum ad electionem seu postulationem personæ idoneæ eidem ecclesie in episcopum præficiendæ, servata ceteroquin sacrorum canonum dispositione, procedere possint, debeant, et teneantur, etiamsi huiusmodi Ratisbonensis ecclesia modo, ut præfertur, vacans Nostræ, et apostolicæ Sedis dispositioni, vigore etiam concordatorum inter dictam Sedem, et inclitam nationem Germanicam initorum reservata seu affecta existat, et in omnibus ac per omnia perinde, ac si Nostræ, et dictæ Sedis

Gratia prout
gationis indul-
ta.

dispositioni nullatenus reservata, vel affecta esset, firmis cæteroquin remanere debentibus omnibus, et singulis per dictum Clementem Wenceslaum', vel ejus nomine in administratione ecclesiæ Ratisbonen. ex quo ad illius favorem successioni in præfata ecclesia Augustan. locus factus fuit usque ad præsentium literarum receptionem, seu præsentationem actis, factis, gestisque de specialis atque uberioris dono gratiæ auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus, extendimus, et ampliamus. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac eisdem capitulo, et canonicis, aliisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula subla, et decretum irritans

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac ordinationibus, et constitutionibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ ecclesiæ Ratisbonen. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava novembris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.



XVIII.

Unio officii commissarii missionum collegiorum de Queretaro, et de Zacatecas, cum præfectura earundem missionum, et concessio alternativæ pro electione præfecti, seu commissarii cum aliis collegiis nuncupatis de Guatimala, et Mexicani.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias pro parte dilecti filii Michaelis del Rosal fratris expresse professi ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, ac procuratoris quatuor collegiorum missionum, de Queretaro nempe, de Zacatecas, de Guatimala, et Mexicani in America septentrionali, congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositæ expositum fuit, quod usque ab initio erectionis hujusmodi collegiorum officium commissarii apostolici prædictarum missionum cum altero officio earum præfecti in una, eademque persona unitum reperiebatur; postmodum vero, quamvis officia prædicta duabus distinctis personis fuerint concessa, nihilominus, cum totum id, quod prius curæ dicti commissarii missionum a statutis fel. record. Innocentii papæ XI. prædecessoris Nostri tributum fuerat eo tempore, quo omnia dicta collegia minime ibidem existebant, nunc a collegiis ipsis deinde erectis peragatur; inutilis prorsus reddebatur ejusdem officii commissarii continuatio: aut saltem ex quo illius functiones omnes cum præfectura missionum compatibles sunt in una, eademque persona; utrumque officium hujusmodi denuo unendum esse, collegia prædicta, eorumque fratres ex postulabant. Atque præterea cum ab erectione collegiorum hujusmodi usque ad hæc tempora præfectura earundem missionum a solis fratribus duorum dumtaxat collegiorum de Queretaro, et de Zacatecas obtenta, et exercita fuerit, neglectis iis aliorum collegiorum de Guatimala, et Mexicani æque cæteroquin dignis: hinc discretoria omnium quatuor collegiorum hujusmodi discernere putarunt, ut præfate congregationi supplicandum esset pro constitutione alternativæ, vi cuius in posterum nominatio trium fratrum ad præfecturam hujusmodi deputandorum,

Dat. die 22.
Nov. 1769.
Anno I.

Expositio status rerum in collegiis missionum

non amplius a præfecto actuali peragenda sit; sed prævio canonico scrutinio, et electione, expleri debeat ab illo collegio, ad quod per turnum, seu alternatiuam id pertineret. Super autem hujusmodi precibus memorata congregatio audiendum esse censuit votum dilecti filii Paschalis a Varisio ministri generalis ejusdem ordinis, qui tam unionem officiorum hujusmodi in una, eademque persona, tamquam utiliore, quam electionem commissarii, simulque præfecti dictarum missionum alternatiuam una vice pro unoquoque ex collegiis prædictis, ut ita pax, et tranquillitas in eis conservetur, peragendam esse duxit; ac propositionem trium personarum, ex quibus commissarius, ac præfectus hujusmodi eligendus erit alternatiuam ab unoquoque collegio, canonico scrutinio peracto, pertinere putavit, quatenus ita eidem congregationi visum fuisset.

§. 2. Memorata itaque congregatio die quarta septembris proxime præteriti edidit decretum, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet = Relato per R. P. D. Mariam Marefuscum secretarium supra dicto libello supplici, una cum voto patris generalis; eminentissimi Patres annuerunt juxta votum prædictum, post vacationem præfecturæ, quæ exercetur vigore decreti sub die vigesima octava novembris MDCCLVII, expediti, non obstante confirmatione ad aliud duodennium a præsentis præfecto sub die decimatertia junii MDCCLXIX, ob pendentiam prænotati recursus nulliter obtenta. Datum Romæ ex ædibus sacre congregationis die, et anno, quibus supra = Joseph Maria cardinalis Castelli præfectus = M. Marefuscus secretarius = Loco ✕ sigilli.

§. 3. Cum autem, sicut dictus Michael Nobis nuper exponi fecit, ut decretum hujusmodi firmiter subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summo opere desideret: Nos ipsum Michaelem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum præinsertum, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, et confir-

mamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis cardinalium.

§. 4. Decernentes, easdem præsentibus literas firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respectu inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, ordinis et collegiorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris MDCCLXIX, pontificatus Nostri anno primo.

XIX.

Electio confessarii regis Hispaniarum in episcopum Thebarum in partibus infidelium.

§. 1. Nos Clemens Papa XIV. motu proprio etc. volentes in proximo Nostro consistorio secreto ad metropolitana ecclesiam Thebarum in partibus in-

Clausula subla, et decretum irritans.

Derogatio contrarium.

Resolutio congregationis de Propaganda Fide.

Preces portæ pro confirmatione decreti, quæ fuit indulti.

Dat. die 8 Dec. 1769. Anno I.

Ratio concessionis exponitur.

fideliū existentem promovere dilectum filium Joachimum ab Oxoma presbyterum ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia excalceatorum expresse professum, et charissimi in Christo filii nostri Caroli III: Hispaniarum regis catholici confessorium, ac volentes etiam, quod pro ejusdem ecclesie provisione, ac Bullarum apostolicarum expeditione nihil penitus impendatur, et gratis omnino proponatur, atque expediatur.

Gratia indulgetur remissis omnibus pro-
pitiis, seu taxis.

§. 2. Propterea vigore presentis Nostrī motus proprii apostolica auctoritate in virtute sancte obedientie precipimus, et mandamus venerabilibus fratribus Nostris Carolo Alberto episcopo Ostien., et Veliternen, Sancte Romanæ Ecclesie Cardinali Guidobono Cavalchino pro-Datario Nostrō, et Henrico Benedicto Mariæ Clementi episcopo Tusculano Sancte Romanæ Ecclesie Cardinali, ejusdemque Sancte Romanæ Ecclesie vice-cancellario, ac summatori Nostrarum literarum apostolicarum, ac dilecto filio Nostrō Andreæ præfate Sancte Romanæ Ecclesie Cardinali Nigronio Nostrō secretario Brevium, necnon dilectis quoque filiis magistro pro-sumistæ ac omnibus, et singulis participantibus officialibus, ac ministris universis quocumque nomine nuncupatis antedicti Consistorii cameræ, viæ secretæ pariter nuncupatæ, datariæ, cancellariæ, summistatus, plumbi, secretariæ Brevium Nostrorum, ac transumptorum Nostrarum Bullarum apostolicarum, ne ipsi, aut eorum quilibet ratione propinæ etiam Nobis debitæ, seu taxæ, et scripturæ Bullarum hujusmodi, vel titulo strenæ, et regalæ, seu quocumque alio prætextu, quidquam accipiant, et exigant, ac accipere, et exigere queant, valeant, audeant, et præsumant pro totali antedictæ ecclesie propositione, illiusque apostolicarum Bullarum expeditione favore præfati Joachimi, sed in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia præfata ecclesia Thebarum hac vice dumtaxat gratis ubique proponatur, atque expediatur quihuscumque in contrarium non obstantibus. Datum ex apostolico Nostrō palatio Quirinali hac die octava decembris MDCCLXIX.

Clemens PP. XIV.



XX.

Jubilæum universale ad implorandum divinum auxilium initio pontificatus pro salutari sanctæ Ecclesie catholice regimine.

Clemens Papa XIV.

Universis christifidelibus præsentis literarum inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Inscrutabili divinæ sapientiæ, atque bonitatis consilio ad supremum apostolatus fastigium nullo meritorum suffragio erecti, dum divina agnoscimus dona, simul et formidamus judicia; quoties enim mentis nostræ oculis creditum munus serio contuemur, toties oneris gravitas Nos terret, ac virium Nostrarum infirmitatis conscientia conturbat, et crebra ex imo corde suspiria, ac uberes ex oculis lacrymas fundentes toti contremiscimus; itaut, nisi ejus auxilium, qui nostris humeris tantum pondus imposuit, Nobis adfuturum confideremus, animo plane concideremus. Universorum igitur christiani orbis fidelium opem imploramus, ut concordibus votis, ac publicis ferventioribus preceationibus, jejuniis, et elemosynis, aliisque pietatis operibus divinam invocemus misericordiam, qua elementissimus Dominus confirmet, quod operatus est in Nobis, repleatque Nos agnitione voluntatis suæ, effundens super Nos spiritum sapientiæ, et intellectus, spiritum scientiæ, et pietatis, spiritum consilii, et fortitudinis, ut inter tot rerum difficultates agnoscamus, quæ agenda sunt, oculisque semper in Deum intentis, quæ recta sunt, salubriter perficiamus. Rogemus magnum patrem familias, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, suumque populum per viam mandatorum ejus ambulantem gratiæ suæ donis in hac peregrinatione confoveat, et ad propositum æternæ beatitudinis præmium feliciter perducat.

§. 2. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, maiorque fructu peragantur, priscum Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum morem sequuti, coelestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei Nostræ commissa est, pro felici Nostrī pontificatus initio erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum

Dat. die 12.
Dec. 1769.
Anno I.

Proemium

Imploratur divinum auxilium, et preces publicæ indicantur, et quid sit agendum pro consecutione Jubilæi præfinitur.

Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, et singulis utriusque sexus christifidelibus ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, ab iis, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum (quæ hebdomadæ maxime cupimus, ut in acceptabile quadragesimæ tempus his nostris literis mature perveniuntibus cadant) saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, et sexta feriis, et sabato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in dominica immediate subsequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam pro prima; pro secunda vero ex prædictis hebdomadis, vel in ipsa secunda dominica, aut alio die hebdomadæ hujusmodi, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas ecclesias intra, et extra urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, et elargimur. Navigantes vero, et iter agentes, ut, cum primum ad sua se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitata ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domicili, eandem indulgentiam consequi possint, et valeant.

§. 3. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere po-

terunt, pariter concedimus, et indulgemus.

§. 4. Insuper omnibus, et singulis, christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, et regularibus cujusvis ordinis, congregationis, et instituti licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis, et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi apostolicæ, et alias per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeat: et insuper vota quæcumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare; injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in prædictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

§. 5. Non intendimus autem per præsentem; sicuti prædecessorum Nostrorum nemo in publicatione Jubilæi unquam intendit, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentem iis, qui a Nobis, vel ab aliquo prælato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti fuerint, nisi intra Jubilæi tempus satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata

Omnibus autem christifidelibus licentia tribuitur eligendi confessarium, qui absolvere possit a censuris.

Excipiuntur tamen irregularitates, et excommunicationes late sententiæ si antea non fuerit satisfactum.

Regulares utriusque sexus et qui impediuntur præstare quæ s. Sedes, vel Ordinarii præsumunt, indultum recipient a confessariis, ut Jubilæum lucrari valeant

habentes, hac vice specialiter nominationem, et expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Itaque Ss. Apostoli Petrus, et Paulus, de quorum potestate, et auctoritate confidimus, ipsi intercedant pro vobis omnibus ad Dominum.

Remissio peccatorum, absolutio, et indulgentia impertitur

§. 6. Interim indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ, et fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, et emendationem vitæ; gratiam et consolationem sancti Spiritus, et finalem perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus, de cujus clementia, et misericordia vobis apostolicam Nostram benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressi, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XII. decembris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

XXI.

Dat. die 12.
Dec. 1769.
Anno 1.

De eodem jubilæo universali agitur cum episcopis, archiepiscopis, patriarchis, et primatibus.

Clemens Papa XIV.

Venerabiles fratres salutem,
et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Cum summi apostolatus impositum Nobis munus cogitatione comprehendimus, tantique oneris vim ac gravitatem intuemur, non possumus, venerabiles fratres, et rei ipsius magnitudine, et perspecta Nobis virium Nostrarum imbecillitate non vehementer commoveri. In altitudinem maris venisse, atque e tranquillæ vitæ securitate tanquam e tutissimo portu ad regendam beati Petri naviculam evocati, maximis repente Nos abripi, atque agitari fluctibus videmur, ac tempestatis vi pene demergi. Verum a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Neque enim ullis humani consilii rationibus, sed illius inscrutabili iudicio Nobis nihil tale opinantibus de-

latam tanti muneris procuracionem aperitissime intelligimus. Proinde in certissimam spem erigimur, cum ipsum, qui Nos ad summi ministerii sollicitudinem adduxit, timorem ac infirmitatem Nostram præsidio suo sublevaturum, et exauditurum Nos esse in abscondito tempestatis. In eadem fiducia præclare Nos confirmat Petri trepidantis in mari, ac Domini modicam ejusdem fidem increpantis recordatio. Qui Nobis in apostolorum principe totius Ecclesiæ curam, et claves regni cælorum tradidit, qui suas oves pascere, ac fratres confirmare jussit, idem certe omnem sui obtinendi auxilii dubitationem a Nobis depellere, Nosque suæ gratiæ spe magis voluit, quam timore nostræ imbecillitatis moveri. Illius itaque, qui est robur ac fortitudo Nostra, voluntati obsequimur, illius fidei potestatique Nos permittimus. Ille consilio suo inchoatum in Nobis opus etiam perficiet, atque ex ipsa humilitate Nostra illius potentiæ, ac misericordiæ vis perspectior omnibus elucescet. Nam si quid hac temporum conditione, Nostra, qui inutiles servi sumus, opera ad Ecclesiæ suæ incolumitatem moliri, ac efficere constituit, illum unum omnes auctorem atque effectorem perspicient, et propterea ipsi honorem ac gloriam esse tantummodo tribuendam cognoscent. Quare alacri animo ad maximum sustinendum onus accedimus, et quo potentiore auxilio fidimus, eo majore studio connitimur, et ob ipsam muneris, ad quod appellati sumus, præstantiam, nullas, quæ a Nobis in eo perfungendo conferri possunt, sedulitatis ac industriæ partes nimias esse judicamus.

Quam quidem administrationis Nostræ rationem dum assidue versamus animo, atque ex hac altissima apostolicæ Sedis specula in omnes christiani orbis regiones oculos convertimus, vos potissimum, venerabiles fratres, excelso, et illustri loco positos intuemur, vestro conspectu recreamur, vos adjutores Nostros, vos dominici gregis custodes, ac evangelicæ vineæ operarios summa animi Nostri jucunditate agnoscimus. Qui igitur Nostræ sollicitudinis partem sustinetis, in ipso apostolatus Nostri exordio alloqui vos maxime cupimus, atque in sinum vestrum intimos mentis Nostræ sensus effundere; et si quid vos in Domino hortari, ac commovere videbimur, id vel Nostro de Nobis ipsi timori tribuite, vel profectum a vestræ virtutis, ac in Nos pietatis fiducia existimate.

Precipitur ut
preces non in-
termittantur
pro obtinenda
Dei præsidio.

§. 2. Ac primum rogamus vos venerabiles fratres ac obsecramus, ne unquam misericordiarum patrem pro imbecillitate Nostra divina præsidio munienda deprecari intermittatis. Reddite hanc Nobis amoris erga vos Nostræ vicem, atque ita mutua precum vestrarum subsidia Nobiscum conjungite, ut alteri ab alteris quodammodo sustentati firmiori gradu omnes possimus in sua quisque statione consistere. Hac potissimum animorum conjunctione illam, in qua Nobiscum coagmentati estis, unitatem comprobabit. Unum quippe totius est Ecclesiæ ædificium, cuius in hac Sede a beato Petro positum est fundamentum. Multi ad illud construendum conjuncti sunt lapides, sed omnes super una petra firmantur ac innituntur. Unum est Ecclesiæ corpus, cuius Christus est caput, ac in illud omnes coalescimus. Nos ipsius potestatis vicariam procuracionem gerentes cæteris alius illo volente præsidemus. Vos vero una Nobiscum colligati tamquam cum visibili Ecclesiæ capite potiores ejusdem corporis partes estis. Quid proinde singulis accidere potest, quod universos non afficiat, neque ad unumquemque promanet? Quemadmodum itaque nihil potest peculiarem cujusque vestrum vigilantiam exposcere, quod Nostris item curis comprehendere, ad Nosque referri non debeat, ita arbitrari debetis magnopere vestra interesse, quidquid ad Nos pertinet, Nostramque operam ac diligentiam desiderat. Quapropter una voluntatum consensione conjuncti, uno eodemque animati spiritu, qui a mystico illo capite profluens, ac per universa membra diffusus vitam omnibus dispergit, contendere omnes, ac dare operam præsertim debemus, ut Ecclesiæ corpus integrum atque incolume sit, ut, nulla ruga ac macula contracta, omni christiannæ virtutis laude instruat, ac vigeat. Quod quidem divina ope præstari a Nobis poterit, si pro virili sua quisque commissi sibi gregis studio exardescet, si illa una singulis insidebit cura populi sui ab omni malorum contagione, atque errorum insidiis removendi, ac omnibus doctrinæ sanctitatisque subsidiis diligentissime muniendi.

Monet episcopos, ut a pravis novitatibus coarctatos greges custodiant

§. 3. Hujusmodi animarum salutis cupiditate si nunquam eos, qui tuendæ vineæ Domini præsunt, excitatos esse oportuit, hoc præsertim tempore illos inflammari est pernecessarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias sive ad labefactandam, sive ad tollendam religionem exoriri fere quotidie,

ac circumferri opiniones, quando novitatis illecebra magis inductos homines, et quadam peregrinæ scientiæ aviditate tractos ad hanc confluere, atque eandem libentissime conquirere vidimus? Unde animarum pestem et perniciem extendi latius in dies, ac miserime propagari dolemus. Quare eo acrius vobis erit laborandum, venerabiles fratres, omnesque vel diligentiae, vel auctoritatis vires exerendæ, ut hanc tantam, ac de divinis etiam, et sanctissimis rebus grassantem temeritatem, atque insaniam repellatis. Non in corruptilibus ac vanis humanæ sapientiæ præsidiis, sed in simplicitate doctrinæ, ac in verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti dumtaxat vos illud consequuturos confidite. Tum hostium impetus coercere facile poteritis, atque adversariorum tela retundere, cum in omnibus sermonibus vestris Jesum Christum crucifixum præferetis ac prædicabitis. Suis ille legibus atque institutis sanctam hanc civitatem, suam nimirum Ecclesiam, condidit, ac communivit. Sux fidei tamquam depositum caste pieque custodiendum huic tradidit. Sux doctrinæ ac veritatis hanc esse voluit firmissimum munimentum, adversus quam portæ inferi nunquam prævalerent. Nos igitur, venerabiles fratres, civitatis sanctæ præsides, ac vigiles hanc ejusdem conditoris Domini, ac magistri nostri legum, ac fidei præclarissimam hæreditatem Nobis per majores Nostros integerrime traditam diligenter tueamur, ac ad posteros Nostros puram, atque incolumem transmittamus. Ad hanc in sacris literis acceptam normam facta, et consilia nostra omnia dirigentes, præterea patrum nostrorum certissimis inhærentes vestigiis instructissimos Nos futuros putemus ad omnes vitandas offensiones, quæ christiani populi fidem debilitare possint, ac infringere, atque Ecclesiæ unitatem ulla ex parte dissolvere. Ab illis divinæ sapientiæ fontibus, scripta scilicet, traditaque doctrina, quæcumque sive ad credendum, sive ad agendum requiruntur, tantummodo hauriamus.

§. 4. In gemino enim hoc locupletissimo veritatis ac virtutis omnis instrumento continentur, quæcumque ad religionis cultum, ad morum disciplinam, recteque vivendi institutionem pertinent. Hinc mysteriorum altitudinem, hinc pietatis, honestatis, justitiæ, humanitatis officia ediscimus. Quid Deo, quid Ecclesiæ, quid patriæ, quid civibus, quid cæteris hominibus debeamus, intelligimus. Unde nullis præclarius, quam

Mandat, ut suadeant populo, ea præstare quæ Deo, quæ patriæ, quæ civibus, et cæteris hominibus debeantur

his veræ religionis legibus civitatum etiam, ac societatum jura stabilita esse cognoscimus. Ac propterea nemo fere unquam divinis Christi sanctionibus bellum intulit, quin idem continuo, quantum in se est, populorum tranquillitatem perturbavit, regum obsequium detrectavit, infesta, ac incerta omnia fecerit. Magna est enim inter divinæ ac humanæ potestatis jura conjunctio; ac proinde qui christianæ legis auctoritate regum imperia munita esse norunt, alacri animo iisdem obtemperant, verentur potentiam, dignitatem observant, et colunt.

§. 5. Atque hanc quidem divinarum præscriptionum partem non minus cum populorum tranquillitate, quam cum animarum salutem conjunctissimam considerantes, magno opere vos hortamur, venerabiles fratres, ut post Deum, ac divini cultus constitutas in Ecclesia rationes, omnem sollicitudinem vestram ad populorum regum obedientiam ac obsequio rite imbuendum convertatis. Illi nimirum ad publicam incolumitatem tuendam, ac homines in juris æquitate continendos in altissimo gradu præ cæteris sunt constituti. Ministri enim Dei sunt in bonum, nec sine causa gladium portant, vindices in iram ei, qui malum agit; carissimi præterea Ecclesiæ filii sunt, ac patroni, quorum est eandem, ut parentem, diligere, ejusque causam ac jura custodire. Quos igitur instruendos in Christi lege suscepistis, mature divino illo præcepto imbuendos curate: fidem regibus sancte esse servandam ab ipsis incunabulis percipiant, parendum auctoritati, legibus obsequendum non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Cum ita populorum animi fuerint opera vestra excitati, non solum ut regibus dicto audientes sint, sed etiam ut eos colant, ac diligant, tum optime et civium tranquillitati, et Ecclesiæ utilitati, quæ inter se disjunctæ esse non possunt, consulatis. Eas vero officii vestri partes uberius cumulabitis, si ad quotidianas pro populo preces, peculiare etiam pro rege obsecrationes adjungatis, ut incolomes illi sint, ut suos in æquitate, pace, ac justitia regant, ut Deum ipsum in regno hominum dominantem cognoscentes, ejusdem causam sancte pieque tueantur, ac provehant. Ita a vobis erit non minus episcopali vestro munere, quam omnium commodis satisfactum. Quid enim justius ac opportunius, quam pro auctore publicæ pacis, ac civium salutis custode ab illis perpetuo Dominum ob-

secrari, qui pro hominibus constituuntur in iis, quæ ad Deum sunt, et tanquam interpretes ac sequestri suis conjuncta precibus omnium vota Domino repræsentant.

§. 6. Jam vero cæteras pastoralis officii partes diligentius vobis percensere supervacaneum ducimus. Quid enim singula persequamur, vosque de iis cohortemur, quorum intelligentia præclare instructos esse novimus, diuturno insuper usu, et quadam animi inductione vestro munere consentanea confirmatos? Illud tantummodo non commitemus, ut quo uno comprehendere omnia credimus, vobis ante oculos non subijciamus, vestram scilicet virtutem excitantes ad ducis Nostri ac pastorem principis consecrandum in omnibus exemplar, atque illud sanctitatis, charitatis, humilitatis specimen in vobis ipsis exprimendum. Si enim ille cum patris sui gloriæ splendor esset, et figura substantiæ ejus, assumpta carnis nostræ infirmitate homines a servitute per humilitatem et charitatem vindicatos in Dei filios adoptari, et cohæredes suos fieri voluit; quam in re gloriosius, ac præstantius cogitationes, et labores Nostri versari possunt, quam ut hujus hominum cum Christo conjunctionis, ac necessitudinis tuendæ auctores cæteris simus, et in illa imitanda bonitatis, clementiæ, mansuetudinis divina forma exemplo nostro omnibus facem præferamus? Qua enim alia ratione super montem excelsum ascendit, qui evangelizat Sion? Vobis hujus consecrandæ similitudinis desiderio semel incensus fieri non potest, quin idem ardor ad vestri universi populi mentes conflandam dimanet. Mirifica siquidem pastoris vis est atque auctoritas ad sui gregis animos commovendos. Qui cum illius cogitationes, actionesque omnes ad hoc veræ virtutis specimen conformatas noverint, cum in illo nihil asperum, nihil arrogans, nihil elatum, verum omnia charitatis, mansuetudinis, humilitatis officiis plena viderint, tum vero acerrime ad easdem æmulandas laudes incitatos sese sentient. Præterea cum eundem omnis privatae utilitatis oblitum, cæterorum commodis inservientem, opibus egentes, solatio afflictos, doctrinæ rudes, omnes officio, consilio, pietate sublevantem, populi denique salutem suæ ipsius vitæ præferentem intelligent, hoc pastoris sui amore, studio, ac sedulitate illecti libentissime docentis, cohortantis, obsecrantis, arguentis etiam, atque increpantis voces

Memoratur
quæ sit pasto-
ralis officii di-
gnitas, et qui-
bus muneribus
obnoxia.

Præsertim
vero ut sua-
deant obe-
dientiam, et
reverentiam
regibus, et
principibus,
quibus sub-
sunt.

audient. Nam si qui privatarum rerum cupiditate obstricti sint, ac terrena divinis præferant, quo pacto poterunt alios ad Dei charitatem, ac mutuam inter se benevolentiam, divitiis, voluptatibus, honoribus inhiantes ad rerum humanarum contemptum, fastu ac superbia elati ad mansuetudinem atque humilitatem inducere? In Jesu Christi igitur disciplina erudiendi populi cum munus sit a vobis susceptum, in ejusdem potissimum sanctitate, innocentia, lenitate vobis erit inhærendum. Tum vestra vos potestate præclare tantummodo esse usuros reputate, cum potiora vobis erunt charitatis atque humilitatis, quam dignitatis insignia. Maximum statuete vestrum hoc esse, atque ad vos unice pertinere, populi vobis crediti hunc in modum instituendi negotium; ab illo recte gerendo omnes vestras derivandas esse laudes ac fortunas, a negligendo calamitatem ac turpitudinem. Quare hæ vestræ sint a vobis tantummodo expetendæ divitiæ, ut Christi sanguine redemptas animas Christo lucrificatis, ea sincera ac solida gloria, ut in divino promovendo cultu, in domus Dei decore amplificando, in vitiis extirpandis, ac virtutibus excolendis fidelem ac sedulam operam vestram Domino semper exhibeatis. Hæc assidue cogitare, hæc agere, hic ambitiosi, hic cupidi esse debetis.

Proponitur etiam merces æterna, ut alacrius munera expleantur etiam gravia, et difficillima.

§. 7. Neque vero cum diu multumque eritis in hac laborum contentione versati, defutura unquam vobis arbitramini virtutis exercendæ spatia. Ea quippe est muneris vestri conditio, ea episcopalis vitæ ratio, ut nunquam debeat curarum cessationem, nunquam otium consequi. Nullis possunt eorum actiones circumscriptæ esse terminis, quorum charitatis amplitudinem nulli debent fines comprehendere. Sed immortalis atque infinitæ mercedis vobis constitutæ expectatio facile molestias omnes leniet, ac levissimas efficiet. Quid enim grave ac molestum esse poterit cogitantibus, beatissimam illam retributionem observatum ac multiplicatum gregem a Domino, cum rationem pastoralis muneris exposcet, recipendam? Præter hanc pulcherrimam immortalitatis spem in ipsis etiam sustinendis pastoralis vitæ laboribus plurimam jucunditatem inesse sentietis, cum Deo conatus vestros adjuvante populum vestrum mutua inter se charitatis conjunctione devinctum, integritate, ac pietate florentem, cæteros denique omnes egregios vigiliarum ac laborum vestrorum fructus in Eccle-

sia exortos conspicietis. Utinam Nostrum omnium unanimi hujusmodi voluntatum, ac studiorum consensione reductam his Nostri apostolatus temporibus præclaram hanc religionis felicitatem, ac antiquæ illius ætatis similem formam videamus, ac gratulari vobiscum, venerabiles fratres, et congaudere possimus in Christo Domino Nostro, qui suæ gratiæ præsidio Nos sustentet, et cor nostrum in illa, quæ ei sunt placita, semper accendat.

§. 8. Quo tempore hæc literas ad vos, venerabiles fratres, perscribimus, eodem per alias Nostras universis christifidelibus jubilæum de more ad implorandum initio nostri pontificatus divinam opem pro salutari sanctæ Ecclesiæ catholicæ regiminis transmittimus. A vobis igitur majorem in modum petimus ac flagitamus, ut commissos vestræ fidei populos ad eas rite faciendas in fide, pietate, ac humilitate precesiones dirigatis, ac sicut monitis, et consiliis vestris, ita etiam exemplo ad curandas tam suæ salutis, quam publicæ christianæ utilitatis rationes inflammetis.

Ac in Nostræ charitatis pignus apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, ac vestrarum ecclesiarum fidelibus populis amantissime imperitur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die duodecima decembris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Exempla autem præbere debent, quæ efficaciter moveant populorum fidem, et pietatem.

XXII.

Approbatio instituti congregationis clericorum regularium discalceatorum sanctæ Crucis, et Passionis D. N. Jesu Christi.

Clemens PP. XIV.

Clemens episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **S**upremi apostolatus ministerium Nobis nuper divinitus conceditum subeuntes, præcipuas curas nostras, atque sollicitudines in id conferendas esse cognovimus, ut eorum, quæ ad divinum cultum promovendum religionis mysteria christifidelium animis altius infigenda, veramque augendam in populis pietatem conducunt, quantum in Domino possumus, nihil in primis ipsi prætermitteremus; tum vero eos,

Proemium

Dat. die 16
Decemb. 1769.
Anno L.

qui Nobiscum adutores verbi in proximorum ædificationem, atque animarum salutem studium, industriam, atque labores suos impendere, uberesque in agro Domini virtutum fructus afferre non desinunt, atque in posterum allaturi sperantur gratiis, et privilegiis, quæ maxime hanc Sedem apostolicam decent, quæque in spiritualis ipsorum, aliorumque profectus incrementum cessura fore confidimus, non destituamus.

§. 2. Cum itaque dilectus filius Paulus a Cruce præpositus congregationis clericorum discalceatorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi nuncupatorum, tam proprio, quam totius ejusdem congregationis nomine Nobis exposuerit jampridem felicitis recordationis Benedictum Papam XIV. prædecessorem Nostrum ejusdem congregationis regulas, sive constitutiones per suas apostolicas literas in forma Brevis specificè approbasse, et confirmasse, concessa insuper facultate easdem in comitiis generalibus ejusdem congregationis interpretandi, atque explicandi, nec non ampliandi, et corrigendi, sicuti magis in Domino expedire visum foret, ejusque facultatis vigore, interjectis temporibus, prædictas regulas, seu constitutiones per comitia generalia explanatas, ampliatas, et in meliorem formam fuisse redactas, adeoque dictus Paulus supplex apud Nos intererit, ut non modo dictas congregationis regulas in præsentem formam redactas iterum specificè confirmare, verum etiam ad conservandam ipsius congregationis propagationem, et perpetuam stabilitatem asservandam, illius institutum formiter approbare, eandemque in congregationem clericorum sub invocatione vivificæ Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi auctoritate apostolica erigere, et sub speciali Nostra, et Sedis apostolicæ protectione suscipere, ejusque prospero regimini, et statui uberius, ut infra consulere, et providere dignaremur.

§. 3. Nos cupientes sanctissimæ crucis, et passionis Domini Nostri Jesu Christi mysterium summum, et potentissimum divinæ misericordiæ sacramentum, quo omnis christianæ spei, atque salutis ratio continetur, fidelium mentibus, animisque infixum semper hæere, nihilque christiano populo utilius intelligentes, quam si juxta apostolicam beati Petri doctrinam, Christo in carne passo, eadem omnes cogitatione, ad debellandos salutis nostræ hostes, æternæque victoriæ palmam assequendam armemur, ideoque illos, qui prædica-

tionem, et exemplo suo universos christifideles ad societatem passionum Christi excitare, atque accendere conantur, apostolicis favoribus prosequendo esse judicantes, dictum Paulum a Cruce præpositum, ejusque congregationis, et instituti sectatores tam pium, et laudabile opus aggressos specialibus gratiis, favore, eorumque votis hac in re quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium, universam eorum congregationem, et personas eidem ex nunc adscriptas, et in posterum in eam recipiendas, eidemque adscribendas cum suis domibus ubilibet constitutis, quas possident, et possidebunt in futurum sub speciali Nostra, et Sedis apostolicæ protectione recipimus, et perpetuo constituimus, eorumque institutum utpote Nobis ex regulis, et constitutionibus, ut infra, examinatis, et approbatis, nec non ex fructuosa plurium retro annorum abunde testata experientia penitus exploratum pari scientia, et auctoritate laudantes, et approbantes, ipsorum corpus, et societatem in unam congregationem clericorum discalceatorum sanctissimæ Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi nuncupandam, cujus sectatores in quatuor votorum simplicium, videlicet paupertatis, castitatis, obedientiæ, ac promovendi inter christifideles venerationem sanctissimæ crucis, et gratam memoriam passionis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, nec non in infra-scriptarum regularum, et constitutionum observantiam omnipotenti Deo, Ecclesiæque utilitati sedulo famulentur, erigimus, et instituimus, supplentes, omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui forsitan in ejus primævam institutionem, et erectionem intervenerint. Ipsius autem congregationis regulas, atque constitutiones jampridem a felicitis recordationis prædecessore Nostro Benedicto pp. XIV. per suas apostolicas literas datas apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava aprilis MDCCXLVI. incipientes

Expositio præcuius porrectarum pro confirmatione constitutionum jam per Pontificem Benedictum XIV. approbata, et modo illustrari in forma redacta.

Laudatur institutum congregationis SSmæ Crucis, et Passionis D.N.J.C. nuncupate, illiusque constitutiones apostolicæ auctoritate confirmantur.

= Ad pastoralis = approbatas, et confirmatas, nuper vero cum ampliacionibus, additionibus, correctionibus, et explanationibus, quas dicti præpositus, et clerici juxta facultatem ipsis a præfato Benedicto prædecessore tributam in eorum comitiis generalibus adjiciendas esse censuerunt, iterum de mandato Nostro expensas, examinatas, et opportunè reformatas, et a Nobismetipsis per similes literas Nostras externa die nimirum decimaquinta currentis mensis novembris datas, novo approbationis, et confirmationis Nostræ munimine roboratas, earundem præsentium tenore laudamus, et approbamus, atque ab omnibus, et singulis dictæ congregationis clericis tam professis, quam novitiis, nec non laicis respective in posterum, non tamen sub mortalis culpæ reatu, sed juxta earum continentiam, et tenorem inviolabiliter observari, et secundum easdem in causis ipsius congregationis, et personarum eidem adscriptarum omnino judicari, et censi debere mandamus, et respective statuimus, eidemque præposito, et clericis, ut habitum, quo hactenus usi sunt, in posterum quoque perpetuo gestare, et alios quoscumque tam clericos, et presbyteros sæculares, quam laicos, iis tamen qualitatibus præditos, quæ in dictis regulis, et constitutionibus a Nobis, ut præfertur, approbatis, et confirmatis præscribuntur, et ab iis requiruntur, in suam congregationem, et consortium admittere, iisque habitum eundem gestandum tradere, eosdemque statuto probationis tempore exacto ad publicam dictorum quatuor votorum simplicium nuncupationem, servatis servandis, admittere, qui postquam vota hujusmodi juxta præscriptum ritum emisserint, a nemine quacumque ordinaria, aut delegata auctoritate, aut facultate fungente, præterquam a Nobis, et a romano Pontifice pro tempore existente, vel ab ipsius congregationis capitulo generali, aut præposito generali cum consultorum suorum, aliorumque de quibus infra, consilio, et assensu ab eadem congregatione dimitti, nec votis prædictis quantumvis simplicibus exsolvî possint, seu valeant.

§. 4. Utque domos solitarias, quas nunc possident cum adnexis hortorum fundis habere, et retinere, aliasque similes juxta eorum institutum de illorum, ad quos respective etiam juxta generales constitutiones apostolicas pertinet, consensu, et licentia acquirere, seu de novo erigere, easque cum suis orato-

Indalgetur facultas possidendi domos solitarias, easque construendi eam ecclesia, oratorio, et humili campanili, ibique sacra peregrandi salvis juribus parochialibus.

rio, ecclesia, atque humili campanili, mansionibus, cellis, et officinis necessariis construere, et in eis habitare, vitamque regularem, et reliquas instituti sui observationes ibidem servare. In hujusmodi autem ecclesiis missas, et divina officia juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ celebrare, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et oleum infirmorum, quod personis dumtaxat de ipsorum congregatione, et familia in mortis periculo ministrare valeant, decenter asservare, dictæque sanctissimæ Eucharistiæ, et pœnitentiæ sacramenta fidelibus, salvis juribus parochialibus, ministrare, eandemque sanctissimam Eucharistiam publicæ christifidelium venerationi, decretis generalibus, ac legibus diœcesanis respective servatis exponere, pias hortationes, et catecheses ad populum habere, ac defuactorum tam de congregatione, et familia, quam aliorum christifidelium, qui sibi in eisdem sepulturam elegerint, servato in omnibus parochorum jure, corpora sepelire: hospitia vero etiam in civitatibus, terris, et oppidis cum oratoriis privatis, in quibus missæ de Ordinarii loci licentia, et sine præjudicio jurium parochialium, quolibet anni die exceptis feria quinta in cœna Domini, et sabbatho sancto, celebrari valeant, habere.

§. 5. Quas quidem domos, et hospitia, et adnexam hortorum septa, quæ scilicet præpositi generalis, aut provincialis auctoritate, appositis terminis semel circumscripta fuerint, ne qua mulier unquam quocumque prætextu ingredi audeat, vel præsumat; seu in illas, et illa introduci valeat sub censuris, et pœnis adversus violantes clausuram virorum regularium statutis districte inhibemus. Utque in aliis quibuscumque locis, ad quæ ipsos ab Ordinariis locorum mitti, aut vocari contigerit verbum Dei publice annunciare, sacras missiones juxta institutum suum ad populos habere, ac pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta fidelibus ministrare. Dum autem missionibus hujusmodi operam dabunt, seu earum occasione, vel alia quacumque de causa iter habebunt, tam in publicis ecclesiis, quam in privatis oratoriis apostolico privilegio munitis, missam unius horæ ante matutinum lucis crepusculum, et alterius horæ spatio post meridiem celebrare libere, et licite possint, et valeant iisdem auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Utque etiam generalia, provincialia, et

Loca vero appositis terminis circumscripta a mulieribus appeti prohibentur.

particularia capitula recurrentibus temporibus, vel pro occurrentibus causis in regula indicatis celebrare, et in eis de totius congregationis, seu respective provinciarum, et peculiarium domorum negotiis tractatus habere, et opportuna decreta condere, et quidem in generalibus comitiis dumtaxat regulas ipsas, et constitutiones interpretari, et declarare; si quæ autem in eis immutanda, rescandæ, addendæ, experientia suadente, videantur, de his ad apostolicam Sedem referendum decernere, clericos professos petentes, aut alias minus idoneos repertos, vel in suis defectibus incorrigibiles, seu forsitan gravioris culpæ reos a congregatione dimittere, vel respective, ut infra, ejicere, et expellere, potissimum vero in eisdem generalibus capitulis præpositi generalis pro tempore futuri, et consultorum ejusdem, in provincialibus vero præpositi provincialis, ejusque pariter consultorum canonicas electiones juxta dictarum regularum, et constitutionum præscripta peragere possint, et valeant, utque hi eo ipso, quod sic electi fuerint pro confirmatis auctoritate apostolicæ Sedis habeantur, nec valeant officiis suis, sine ipsius capituli, in quo respective electi fuerint, assensu renuciare.

§. 6. Idem vero in suis officiis plenaria gaudeant auctoritate ea omnia gerendi, ordinandi, et disponendi, quæ ipsis in dictis constitutionibus, et regulis attributa, et respective injuncta, et commendata dignoscuntur, specialiter vero ejusdem congregationis domos, atque personas visitandi, et reformandi, et personas hujusmodi pro merito corrigendi, et emendandi, pœnitentiandi, et puniendi, et de loco ad locum transferendi, diœcesani loci licentia super his minime requisita, dictoque præposito generali, ut justis, et rationabilibus concurrentibus causis in peculiaribus casibus super observantia, regularum, et constitutionum ipsius congregationis cum singulis personis dispensare, ac etiam de suorum consultorum, et provincialium, seu majoris partis eorum consilio, et assensu, juxta temporum vicissitudines, et casuum exigentiam nonnihil de earundem constitutionum rigore quoad integras domos, vel provincias ad tempus remittere valeat, facultatem similiter concedimus, et impertimur.

§. 7. Præterea, ut clerici in eadem congregatione professi, quos dictus præpositus generalis, vel præsides provin-

ciales trium saltem examinatorum ad id per eos assumptorum accedente judicio, idoneos in Domino judicaverint cum solis eorundem generalis, vel provincialis respective literis dimissorialibus ab episcopo diœcesano domus, de cujus familia existent, vel de hujus licentia ab alio quocumque catholico antistite gratiam, et communionem Sedis apostolicæ habente ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines ad titulum paupertatis, servatis servandis, promoveri, et ordinari; sicque promoti, et ordinati in illis etiam in altaris ministerio ministrare possint, et valeant, ac respective debeant, retentis tamen legibus in apostolicis constitutionibus prædecessorum Nostrorum præsertim felicitis recordationis Benedicti papæ XIV. de ordinationibus regularium, quæ incipit = Impositi Nobis = et in decretis congregationis cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum statutis, atque præscriptis, præsentium pariter tenore indulgemus, et respective decernimus. Ita tamen, ut si contingat aliquos ad sacros ordines ad titulum paupertatis hujusmodi promotos ab eadem congregatione, sive ipsis petentibus, sive superiorum decreto, ut infra, dimitti, post eorum dimissionem tamdiu a susceptis exercendis ordinibus abstineant, et suspensi censeantur quoad Ordinarii judicio non constiterit tantum eos ex annuis sibi tuto constitutis, sive patrimonialium, sive ecclesiasticorum honorum fructibus percipere quantum ad ipsorum congruam sustentationem, juxta sacrorum canonum, et synodalicarum constitutionum dispositiones sufficiat. Ex his autem, qui in presbyteratus ordine constituti fuerint, tum singuli domorum rectores, et novitiorum magistri, tum alii ex eorundem rectorum, aut ex præpositi generalis, vel provincialis delegatione sacramentales confessiones personarum de congregatione, et familia dumtaxat, qui vero etiam ab Ordinariis locorum ad id idonei reperti, et approbati fuerint, aliorum quoque christifidelium confessiones audire, eosque juxta facultatum sibi impertitarum tenorem sacramentaliter absolvere valeant.

§. 8. Porro si qui ex clericis, aut laicis in dicta congregatione professis propter adversam corporis valetudinem, aut virium imbecillitatem, seu ob aliam justam, et rationabilem causam in eadem congregatione perseverare posse diffidentes, ab ipsa dimitti, votorumque in ea emissorum obligationem sibi re-

dati literis dimissorialibus ab uno præposito generali, vel præsidi provincie.

Præposito autem generali jurisdictionis conceditur super universis locis, bonis, et domibus congregationis, absque dependentia ab Ordinario loci

Clerici autem ad sacerdotium pervenire possunt

Nemo ex clericis admissis in congregationem dimitti potest quavis ex causa nisi accedente consensu capituli generalis

eis qui in exercitiis munerum congregationis diligenter incumbunt.

eiusdem congregationis clerici, et laici tam professi, qua novitii piis exercitationibus eorum instituto congruentibus ferventius insistere, ipsiusque congregationis officia alacrius obire studeant, Nos de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, unicuique eorum quoties collationibus, vel publicis, vel privatis ad recolendam memoriam passionis Domini Nostri Jesu Christi, vel ad procurandam morum reformationem habendis intererunt, aut præscriptos divini cultus, et pietatis, seu mortificationis actus sive communiter, sive privatim ex regularum præscripto adimplendos, seu quodlibet spiritualis, aut corporalis misericordiae opus erga proximos exercebunt, toties quadraginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis penitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, eandemque indulgentiam ad eos omnes sive sæculares, sive regulares ecclesiasticos, et laicos extendimus, qui ejusdem congregationis socios in missionibus, et catechesibus ad populos habendis, aliisque pietatis operibus inter fideles promovendis opera, aut consilio quomodocumque adjuverint, aut sublevaverint, prout etiam ad illos, qui in memoratæ congregationis domo spiritualibus exercitiis vacaturi recedent, durante hujusmodi exercitiorum cursu. Denique omnia, et singula privilegia, indulta, indulgentias, et peccatorum remissiones, facultates, et gratias spirituales, quibus similes clericorum seu sæcularium, seu etiam regularium, congregationes, earumque domus etiam regulares, necnon generales, alique superiores, officiales, ministri, et personæ ex concessione apostolica, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt, et poterunt in futurum, eidem congregationi clericorum disalceatorum sanctissimæ Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi, illiusque domibus, ac præposito generali, aliisque superioribus, officialibus, ministris, et aliis quibuscumque personis nunc, et pro tempore existentibus eadem apostolica auctoritate, ac præsentium tenore concedimus, et ad illam, et illas extendimus, et ampliamus, illaque omnia, et singula, perinde ac si principaliter ipsis, ac specialiter, et expresse non autem ad instar concessa, et præsentibus expressa, ac de verbo ad verbum inserta fuissent, omniumque præterea orationum, jejuniorum, penitentiarum, aliorumque spiritualium,

et bonorum operum, quæ in universis ordinibus regularibus peraguntur, merita dictæ congregationi clericorum disalceatorum, ejusque personis prædictis, ac respective domibus plenarie communicamus.

§. 12. Decernentes præsentibus Nostras literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suoque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, vel intentionis Nostræ, vel quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite, ac jure statuto, vel consuetudine aliqua resultante quantumvis justa, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium, vel justitiæ impetrari posse, neque ipsas præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum, aut dispositionum generalibus revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per Nos, et successores Nostros romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem apostolicam prædictam; etiam motu proprio ex certa scientia, et potestatis plenitudine, ex quibusvis causis pro tempore faciendis comprehendere, sed semper, et omnino ab illis excipi; sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis, et non alias per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, aut vice-legatos, dictæque Sedis nuncios, aut alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, prærogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque iudicio, et quacumque instantia iudicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præcipitur constitutionis observantia, quibuscumque in contrarium minime faciatibus.

§. 13. Quocirca venerabiles fratres No-

Ordinarius locorum con-

gregatio com-
mendatur.

stros patriarchas, archiepiscopos, et episcopos, ac dilectos filios locorum Ordinarios, in quorum diœcesibus, et territoriis cœnobîa, domus, et hospitia dictorum clericorum discalceatorum erecta jam sint, ac benedicente Domino erigi contigerit, necnon quibus iidem clerici discalceati de superiorum suorum licentia præcipue ad evangelica munera peragenda sese exhibebunt, enixe in Domino hortamur, ut illos tamquam strenuos in vinea Domini operarios recipiant, et ab aliis recipi faciant, atque habeant eos pro Nostra, et apostolicæ Sedis reverentiâ plurimum commendatos, et nihilominus iisdem patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, aliisque Ordinariis prædictis harum quoque serie injungimus, quatenus ipsi, et eorum quilibet per se, vel alium, seu alios præsentis literas, et in eis contenta, quoties opus fuerit, et pro parte dictorum clericorum discalceatorum fuerint requisiti, solemaiter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis auxilio assistentes faciant auctoritate Nostra illos literis, et in eis contentis hujusmodi pacifice frui, et gaudere, non permittentes eis, aut eorum alicui super præmissis a quoquam molestiam aliquam indebite inferri, contradictores quoslibet auctoritate Nostra appellatione postposita compescendo.

Derogatio
contrariorum

§. 14. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, et de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis aliis regularibus ordinibus, illorumque personis etiam speciali mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter,

ac de verbo ad verbum insertis, et expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum omnium effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentis Nostræ literæ ad omnium notitiam facilius pervenire valeant; volumus, ut illarum transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publicis subscriptis, et sigillo personæ in ecclésiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ forent, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ absolutionis, receptionis, confirmationis, approbationis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti facultatum, et privilegiorum impartitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo nono, sexto decimo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno primo.

XXIII.

Dat. die 15.
Junii 1769.
Anno I.

Prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi apostolicæ reservatæ ne libri ex bibliotheca collegii Maris Dei de Henuares Toletanæ diœcesis ullo umquam tempore extrahantur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum sicut dilecti filii modernus vicereceptor, alique collegiales, et vocales collegii Matris Dei theologorum nuncupat. universitatis oppidi civitatis pariter nuncupat. de Alcalá de Henuares Toletan. diœc. Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi libros bibliothecæ ejusdem collegii modo componere curret, atque non sine gravi collegii hujusmodi præjudicio nonnullos ex libris prædictis deficere comperuerint, ac pro-

Quoniam nonnulli libri jam fuissent a bibliotheca ablati, supplicatus fuit Pontifex ut in futurum consuleret, ne alios disperdi contingeret.

pterea vereantur, ne successu temporis, alios quoque ex illis disperdi contingat.

Pontifex autem extractionem quamlibet librorum inhibuit sub poena excommunicationis latae sententiae, et nisi sanctae Sedi reservatae.

§. 2. Idcirco Nos conservationi, et manutentioni librorum huiusmodi opportune providere, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis quacumque auctoritate, et superioritate fungentibus, et functuris, ac cujusvis status, gradus, et conditionis, praeeminentiae, et dignitatis nunc, et pro tempore existentibus, ne ullo unquam tempore libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta eidem bibliothecae hactenus donata, et assignata, seu in posterum per quoscumque alios christifideles donanda, seu assignanda ex bibliotheca huiusmodi extrahere, commodare, seu asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur, seu asportentur permittere, aut consentire sub quovis praetextu, quæsito colore, causa, ingenio quoquo modo audeant, seu praesumant sub excommunicationis latae sententiae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo absolutiois beneficium, nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo obtinere queat, poena, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus, et interdicimus.

Et omnibus iam contrarium facientibus derogavit.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis exemplum in valvis dictae bibliothecae, aut in aliquo alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni, et legi possit, continuo affixum remaneat. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaquinta junii anni MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

XXIV.

Dat. die 19.
Junii 1769.
Anno I.

Confirmatio duorum decretorum magni hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani super erectione unius, et suppressione alterius baiulivatus, et erectionem duarum camerarum in commendas, ac dismembrationem duarum commendarum data duobus prioribus facultate retinendi commendam cum prioratu.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Dominicus Bosurgi frater miles expresse professus, ac praceptor, seu commendatarius linguae Italiae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et Xaverius Rosso frater itidem miles expresse professus linguae, et hospitalis praedictorum procuratores ejusdem linguae, quod alias die nempe xi. februarii MDCCLXII. et die xiv. decembris MDCCLXVIII. dilectus quoque filius Emmanuel Pinto magnus magister hospitalis huiusmodi, accedente ad id approbatione, et assensu dilectorum etiam filiorum consilii ejusdem hospitalis vigore privilegiorum a felicis praesertim recordationis Clemente pp. VII. et ab aliis romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris hospitali praedicto concessorum suo primo decreto edito dicta die xi. februarii MDCCLXII. jussit, et ordinavit, ut praepTORIA, seu commenda de Taurino nuncupat. ejusdem hospitalis in baiulivatum erigenda, ac respective baiulivatus de Cremona pariter nuncupat. ejusdem hospitalis suppressendus esset, et praeterea mandavit disjunctionem, seu dismembrationem duarum camerarum prioralium Asten, et Vercellen. a prioratu Lombardiae memorati hospitalis, illarumque erectionem in duas praepTORIAS, seu commendas, unam nempe titulo sancti Petri, aliamque titulo sancti Jacobi nuncupandas, et alias prout in dicto decreto, cujus tenor est qui sequitur videlicet.

Quae fuerint resolutiones captae super unione, et respectiva dismembratione duorum camerarum prioralium Asten, et Vercellen exponitur, atque Clementis pp. VII. aliorumq. pontificum memorantur privilegia concessa hospitali s. Joannis Hierosolymitani, quorum vigore de rebus ad dictum hospitale pertinentibus, procuratores, et magistri disponere possunt.

§. 2. Frater Emmanuel Pinto Dei gratia, sacrae domus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et militaris ordinis sancti Sepulchri Dom. mag. humilis, pauperumque Jesu Christi custos. Universis, et singulis praesentes nostras literas visuris, lecturis, et audituris salutem; notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infra-

Tenor primi decreti.

scriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent; quod quidem in hanc publicam formam extrahi, et redigi jussimus, ut ubique tam in judicio, quam extra eidem plena, et indubitata fides adhibeatur; cujus tenor est qui sequitur, videlicet = Die xi. mensis februarii MDGCLXII. ab incarnatione. Essendosi letta la relazione dei venerandi commissari deputati li 4. del corrente, sopra due memoriali della veneranda lingua d'Italia, qual è del tenor, che siegue.

Relatio commissariorum deputatorum, qui dismembrationem, et respectivam unionem faciendam esse suadent.

§. 3. = E'no Sig. e Sag. Cons. = Onorati dell' incombenza di esaminare i progetti presentati a vostra eminenza dalla veneranda lingua d'Italia, e dall' eminenza vostra rimessi a questo sagro consiglio, i quali hanno per oggetto di erigere in baliaggio la commenda di Torino col sopprimere quello di Cremona, la di cui dote resterebbe in commenda; ed altresì lo smembramento del priorato di Lombardia, del baliaggio di santo Stefano, e quello di san Giovanni a Mare di Napoli, formando commende dai beni rispettivamente smembrati: abbiamo consultate le costituzioni dell'ordine per vedere se alle medesime venivano i riferiti progetti adattati. = Hanno divisi i nostri savj predecessori i beni di nostra santa religione in commende, baliaggi, e priorati per esser godute le prime dai cavalieri, passando successivamente dalle minori alla maggiori, arrivando finalmente ai baliaggi, e priorati, considerati come la corona dell'anzianità, dei servigj, e della benemerenzza: concorrendo ad impinguare le dignità suddette il decoro della religione, il quale esige, che i capi di essa siano provveduti proporzionatamente all'essere loro, e similmente l'interesse del comune tesoro, cadendo queste pingui possessioni in mano delli più anziani, onde ne riscuote il medesimo più frequenti i mortorj, e vacanti; sicchè la nobiltà ambisce di farsi ricevere allettata da onorevoli stabilimenti, ai quali acquista un diritto, che la morte sola può render vano, ed il nostro erario trova il suo vantaggio nei passaggi, che più numerosi si rendono = Per infrangere un sistema maturato con tanta sublime intelligenza si richiedono fortissimi motivi, e questi si sono incontrati, prodotti dalle mutazioni, che il tempo fa nascere, sia che le rendite degli accennati priorati e baliaggi accresciute a se-

gno di tentare i forestieri, appoggiati a protezioni, alle quali la religione si trova in obbligo di cedere, o che i beni troppo sparsi richiedino più di un amministratore per ricavarne il frutto, che possano produrre: l'ordine nel primo caso dovendo sminuire la tentazione; e nel secondo essendo interessato a facilitare l'accrescimento de' suoi beni col detrarre dai priorati, e baliaggi quella parte, che i priori o bagliivi non possono coltivare con la necessaria comandata accuratezza, ed allora il comune tesoro invece di essere pregiudicato negli oggetti sopra enunciati, gode il beneficio, che necessariamente ricava dall'accrescimento suddetto = Tanti e tanti smembramenti fatti nei tempi antichi, e moderni comprovano, che la religione, sebbene gelosa di mantenere illese le sue massime fondamentali, si è nulladimeno piegata, forzata di cedere alle circostanze, essendo fresco l'eseguito smembramento dei priorati di Tolosa, e di Sciampagna ordinato da vostra eminenza e da questo sagro consiglio. Ponderate dunque da noi l'istanza della veneranda lingua d'Italia, abbiamo riconosciuto, che quella spettante il pingue priorato di Lombardia veniva fondata su le medesime ragioni, che hanno operato il citato smembramento, e ci siamo tanto maggiormente nniti al sentimento della stessa veneranda lingua di detrarre dal suddetto priorato le due camere di Asti, e di Vercelli, che di tale detrazione non può patire il decoro del venerando priore, rimanendogli l'annua rendita di lire di Piemonte 24800. che fanno 12400 scudi di questa moneta, dalli quali si debbono prelevare i pesi, ma ridotti mediante la parte che ne dovranno sopportare per proporzione le camere di Asti, e Vercelli. = La veneranda lingua propone di formare da queste due camere tre commende, cioè una dalla camera d'Asti, che frutta lire di Piemonte 8000., e le due altre dalla camera di Vercelli, la di cui rendita produce lire simili 7940. Ci uniformiamo in quanto all'erezione della commenda di Asti col titolo di san Pietro; ma non per la separazione della camera di Vercelli, stimando più conveniente di non dividerla; attesochè formandone una commenda sola, che si potrà denominare di san Giacomo, la quale sarà quasi uguale a quella di Asti, si troverà la veneranda lingua arricchita di due commende di secondo, ed anche di terzo miglioramento; laonde più atte a

restituire all'anzianità, ed al tesoro quello, che viene scemato all'una, ed all'altro dal proposto smembramento: bensì ci troviamo di nuovo uniti con la veneranda lingua nel chiedere, che si conceda al prior di Lombardia futuro in compenso delle due camere smembrate di ritenere a sua scelta una delle commende, delle quali si troverà provisto nel giorno della di lui promozione, non però le pensioni che goderebbe su altre commende, o dignità, ottenendo a tal effetto la deroga dello statuto 4. delle commende, conforme si è praticato negli ulteriori smembramenti. Non abbracciamo però il pensiero della veneranda lingua di smembrare il baliaggio di santo Stefano, il cui prodotto di ducati napoletani 8000. ridotto in circa a 5000., i pesi della religione, o le pensioni ascendono a ducati 2138., non eccede la ricompensa, con la quale intende la religione di premiare i lunghi servigi, e di compensare le spese fatte nel mantenimento dell'albergia; non apparendo tampoco verun motivo economico, giacchè il membro, che si desidererebbe di separare consiste in decime, e censi, che non sono suscettibili di coltura. Il baliaggio di san Giovanni a Mare di Napoli è molto meno, nel caso del richiesto smembramento, non avendo neppur la dote, che converrebbe nella residenza della real città, della quale porta il nome. Ritorniamo finalmente a riunirci alla più volte nominata veneranda lingua nella proposizione di permutare in baliaggio la pingue commenda di Torino, e di ridurre in commenda il tenuissimo baliaggio di Cremona, contentandosene vostra eminenza; progetto adattato allo spirito della religione; e lo zelo della prelodata veneranda lingua avrà prodotto questo vantaggio, come ancora quello del divisato smembramento del priorato di Lombardia, se vostra eminenza e questo sagro consiglio si degneranno di approvare il sentimento, che abbiamo l'onore di umiliargli, sottomettendolo a quanto si compiaceranno di ordinare. Malta 9. febraro 1762. = Di vostra eminenza = Umilissimi devotissimi obbligatissimi, e religiosi obbedientissimi = Le Bailly de Tencin = El Baylio Ximenez de Texada = L'eminentissimo e reverendissimo signor gran maestro, ed il venerando consiglio, inserendo ai privilegi pontificj accordati a questo sagro ordine, hanno collo scrutinio delle palle eretto in baliaggio la commenda di Torino sopprimendo quello di Cremona;

Bull. Rom. Tom. IV.

ed hanno altresì smembrato dal priorato di Lombardia le due camere priorali d'Asti, e Vercelli, con erigerne due commende; il tutto conforme si prescrive nella relazione qui sopra inserta. E successivamente hanno data commissione ai venerandi procuratori del comune tesoro di liquidarne i pesi, e pensioni a proporzione de' frutti di dette commende smembrate = Et quia ita se habet veritas: ideo in hujus rei testimonium bulla nostra magistralis in cera nigra presentibus est impressa. Datum Melitæ in conventu nostro die xx. mensis decembris MDCCLXVIII. regist. in cancellaria Bajul. Aquilæ = Fran. Guedes vicecanc. = Lo ✕ co sigilli.

§. 4. In secundo vero decreto, ut præfertur edito die decimaquarta decembris MDCCLXVIII. demandata fuit disjunctio, seu dismembratio a prioratu Capuæ dicti hospitalis duarum præceptoriarum, seu commendarum, constituendo illarum unam ex bonis vulgo nuncupatis di Cajazzo, Campagnano, sant' Agata e Madaloni, aliamque ex bonis pariter vulgo nuncupatis Di Nola, Marigliano, Salerno, Scafate, Montuori, cum territorio nuncupato sancti Joannis Melivitano, et cum membro di Pietra Molara, ac fundo Petra Vairano respective pariter nuncupat., et præterea injunctum fuit, ut a bajulivatu sancti Stephani dividenda esset terra Putignani ex eo constituendo duas præceptorias, seu commendas, adjecta tamen lege, ut terræ hujusmodi administratio ab uno tantum præceptore, seu commendatario habenda, seu exercenda esset, cum onere solvendi annua ducata mille alteri præceptori, seu commendatario, ac demum in secundo dicto decreto præscripta quoque fuit unio duarum præceptoriarum, seu commendarum sanctæ Catharinæ nempe di Bari, et sancti Joannis di Ruvo, e Bitonto vulgo nuncupat. in unam præceptoriam, seu commendam hospitalis prædicti, demandando simul pro indemnitate priorum Lombardiæ et Capuæ pro tempore existentium ejusdem hospitalis, ut ipsi una cum prioratu unam præceptoriam, seu commendam memorati hospitalis, quam tempore eorum promotionis ad prioratus hujusmodi obtinebunt, retinere valerent, ac alias prout in secundo dicto decreto plenius continetur; tenor vero ejusdem secundi decreti est qui sequitur, videlicet.

§. 5. Frater Emmanuel Pinto Dei gratia, sacre domus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et militaris or-

Memoratur alia dismembratio a prioratu Capuæ duarum commendarum in diversis bonis constitutarum.

Tenor secundi decreti.

dinis sancti Sepulchri Dominici magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos: Universis, et singulis præsentes nostras literas visuris, lecturis, et audituris salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis testamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent. Quod quidem in hanc publicam formam extrahi, et redigi iussimus, ut ibique tam in iudicio, quam extra eidem plena, et indubitata fides adhibeatur, cujus tenor, est qui sequitur, videlicet = Die xiv. mensis decembris MDCCLXVIII. = Essendosi letta la relazione dei venerandi commissari deputati sopra lo smembramento, ed unione di commende proposti dalla veneranda lingua d'Italia; qual relazione si è del tenor, che siegue, cioè = Eminentissimo signore e sacro consiglio = La veneranda lingua d'Italia mossa dal di lei sommo zelo per la buona amministrazione dei beni di questo sacro ordine siti nei suoi limiti, formò con deliberazione de' 15. maggio ultimo scorso li seguenti progetti = Il primo di smembrare dal priorato di Capua, che in oggi produce l'annua rendita di ducati napoletani 9646. e grana 99. due commende, formandole così: una coi beni chiamati di Cajazzo, Campagnano, sant'Agata, e Madaloni, li quali danno l'annuo reddito di ducati 859. e grana 86.; la seconda coi beni di Nola, Marigliano, Salerno, Scafati, Montuori, il territorio chiamato di san Giovanni di Malta, il membro di Pietra Molara, e con il fondo chiamato Pietra Vairano, che producono la rendita di ducati 899. e grana 37. per anno; di maniera che fatta la detrazione di queste due somme rimane il priorato suddetto con l'annuo provento di ducati 7887. 76. soggiungendo in seguito, che ambedue le ideate commende dovranno essere proporzionatamente tassate al pagamento delle risposioni, e tasse, e con ciò diminuita la somma di quanto per questo titolo oggi paga il priorato = Il secondo progetto è di dividere il baliaggio di santo Stefano; cioè lasciare per dote del medesimo la terra di Fasano, con i feudi di santo Stefano, la Cordara; ed altre masserie, ed oliveti, quali producono al netto da pesi locali, risposioni, tasse, e pensioni annui scudi di questa moneta novemila: e della terra Putignano discosta dagli altri beni miglia sedici, e che produce l'annua rendita di ducati quat-

tromila formare due commende. Ma siccome di questa terra non può farsi divisione, si propone che un commendatore abbia l'amministrazione della terra con il peso di pagare annui ducati mille, che sarà la dote della seconda commenda, bene inteso egualmente, che gli attuali pesi del baliaggio saranno a dovere tripartiti tra la dignità, e le due nuove commende. Il terzo progetto è di unire in una le due commende di santa Caterina di Bari, e di san Giovanni di Rovo, e Bitonto, le quali sono di un reddito tenuissimo, e che insino adesso altro non produssero, che far cadere in incapacità li commendatori. Queste proposizioni comunicate dall'eminenza vostra ai venerandi procuratori del venerando comun tesoro furono da questi trovate di somma convenienza, e vantaggiose: il solo attuale venerando ammiraglio fr. Nicolò Bonsignori con una protesta preservativa de' suoi interessi fatta in atti di questa cancellaria sotto il dì 23. del mese di agosto ultimo scorso, si oppose, dimandando, che le dignità di Capua, e di santo Stefano restino tali quali erano nel giorno della sua elezione. Fatto da noi eminentissimo signore e sacro consiglio sopra gli avanzati progetti il più minuto esame, gli abbiamo trovati utili, e vantaggiosi per le ragioni tanto bene rilevate dai venerandi procuratori del venerando comun tesoro; quindi siamo del parere, che debbansi eseguire con le due condizioni però, che il presente regolamento non debba comprendere il venerando ammiraglio attuale, di maniera che se sarà nel caso di dover conseguire o il priorato di Capua, o il baliaggio di santo Stefano, dovrà l'esecuzione del progetto aver luogo dopo la sua morte: la seconda, che potrà il priore di Capua ritenere una commenda con il priorato, per così dargli un compenso de' beni, che gli si levano, appunto come si praticò, quando negli anni scorsi si smembrarono dal priorato di Lombardia le commende di Asti e Vercelli. Questo è quanto ci diamo l'onore di riferire all'eminenza vostra, ed a questo sacro consiglio in esecuzione dei loro pregiatissimi comandi, mentre pieni di vero ossequio ci ratifichiamo = Di vostra eminenza = 10. dicembre 1768. = Umilissimi, devotissimi ed obbligatissimi servitori, e religiosi ubbidientissimi = El Baylio Fr. D. Francisco Ximenez de Texada =, le Bailly de Combreaux =. L'eminentissimo e reverendissimo signor gran maestro, ed il venerando consiglio ine-

rendo ai privilegi pontificj accordati a questo sagro ordine collo scrutinio delle palle, hanno approvato, e confermato la relazione qui sopra inserta, con ordinarne la debita esecuzione, avendo consecutivamente data commissione ai venerandi procuratori del comun tesoro di liquidarne i pesi, e pensioni a proporzione di dette commende smembrate. = Et quia ita se habet veritas. Ideo in hujus rei testimonium bulla nostra magistralis in cera nigra presentibus est impressa. Datum Melitæ in conventu nostro die, mense, et anno supradictis. Registr. in cancelleria bajulivatus Aquilæ = Franciscus Guedes Vicecanc. = Loco si  gilli =.

Preces portetur pro obtinenda apostolica approbatione super utroque decreto

§. 6. Quoniam autem dicti exponentes quo decreta hujusmodi firmiter subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de apostolica benignitate dignaremur.

Absolutio a censuris, et approbatio cum sanatione cuiusvis defectus sive facti, sive juris.

§. 7. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum presentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta decreta cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti etiam substantialis defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Decernentes easdem presentes literas, et in eis contenta quæcumque, firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans, et clausula sublata.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac linguæ et hospitalis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xix. junii MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

XXV.

Dat. die 13
Julii 1769.
Anno I.

Innovatio, et confirmatio literarum Urbani VIII. a plurimis romanis Pontificibus confirmatarum per quas injungitur Ordinariis, et generalibus ordinum, ut necessitates terræ sanctæ bis in anno proponi, et commendari curent.

Clemens Papa XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **S**alvatoris, et Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicæ servitutis curas, in eam præcipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, et tam salubris misterii monumenta, quæ in civitate Hierusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

Necessitas exponitur consulendi indemnitate monumentorum, quæ in civitate Hierusalem, et locis circumvicinis existunt, et in quibus mysterium redemptionis fuit operatum.

§. 2. Cum itaque alias fel. rec. Urbano pp. VIII. prædecessore Nostro exposito, quod ecclesiæ, et alia loca pia in civitate Hierusalem, et aliis locis terræ sanctæ existentia fere diruta erant, et quæ adhuc ibi existebant monasteria ære alieno ob impiam turcarum, hæreticorum, et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctæ fidei catholice in

Quæ fuerint ad id sollicitudines romanorum Pontificum memorata.

eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus prædecessor Noster, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, et singulis quorumvis ordinum, congregationum, et institutorum regularium generalibus commiserit, et mandaverit; ut ad minus duabus vicibus quolibet anno adventus, et quadragesimæ temporibus, tam per verbi dominici prædicatores, in suis sacris concionibus, quam in actionibus, et functionibus publicis necessitates eorundem sanctorum monumentorum populo proponi, et commendari curarent, et facerent, et alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die iii. februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

Expositio præcæ portectarum pro obtinenda confirmatione literarum apostolicarum ad hoc editarum.

§. 3. Et sicut pro parte dilecti filii moderni commissarii generalis terræ sanctæ Nobis nuper expositum fuit ipse, quo prædictæ Urbani prædecessoris literæ, quæ a rec. mem. Innocentio X. Clemente X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII., Clemente XII., Benedicto XIV., et Clemente XIII. romanis Pontificibus pariter prædecessoribus Nostris confirmatæ fuerunt, exactius observentur, illas per Nos etiam confirmari, et innovari desideret.

Confirmatio implorata conceditur, derogatis omnibus in contrarium facientibus.

§. 4. Nos eorundem sacrorum monumentorum conservationi, et maintenance, consulere volentes, prædictas Urbani prædecessoris literas auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, et approbamus, illasque innovamus, et observari mandamus. Volumus autem, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopique prædicti in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina apostolorum, faciendæ referant, se prædictis Urbani prædecessoris literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Publicatio, et fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus insuper ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xii. julii MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

XXVI.

Dat. die 8.
Aug. 1769.
Anno 1.

Facultas conferendi lauream doctoralem in philosophiæ, et theologiæ studiis monachis sancti Martini montis Pannoniæ, concessa archiabati ejusdem monasterii, dummodo tamen promovendi examini sese subjiciant, et philosophiæ per biennium, et theologiæ per triennium operam navaverint.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. In supereminenti apostolicæ ^{Præmium.} Sedis speculi, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti; Nobiscum cogitantes, quantum ex literarum studiis catholica fides illustretur, divini numinis cultus augeatur, christianæ religionis veritas confirmetur, ac justitia colatur, ab ea propter quæ studia literarum hujusmodi ubilibet excitentur, atque etiam, ut omnes sedulam iisdem operam navare cupientes majori cum cominodo id peragere valeant, libenter intendimus, et apostolicæ sollicitudinis, auctoritatis, benignitatisque partes conferimus, prout pia personarum optime de Sede apostolica meritatum vota exposcunt, Nosque in Domino salubriter conspiciamus expediri.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper ^{Expositio præcæ.} exponi fecit dilectus filius Daniel Somogy archiabbas nuncupatus monasterii sancti Martini montis Pannoniæ ordinis sancti Benedicti in Taurinensi diœcesi, ex monachis dicti ordinis alii philosophiæ, alii sacræ theologiæ studiis modo operam dent, et alii quoque ex eis in posterum dare intendant, ut monachi hujusmodi, qui tam in prædicto, quam in aliis monasteriis dicti ordinis in Hungaria existentibus, et ab eodem monasterio sancti Martini tamquam ab eorum capite dependentibus, in quibus studia, et lectores facultatum prædictarum constituti, ac deputati reperiantur, majori cum sedulitate, et animi ardore ad earundem scientiarum studia facilius incitentur, et in ipsis apprimè instituantur, atque ne postquam studia prædicta compleverint, aut sine præmiò discedant, aut alibi pro consequendis eorundem studiorum gradibus non sine gravi impensa, et regularis disciplinæ præjudicio sese extra monasteria dicti ordinis conferre teneantur, facultatem promovendi ad lauream doctoralem in philosophia, et sacra theo-

logia prædictis eidem moderno, et pro tempore existenti archiabbati monasterii sancti Martini hujusmodi per Nos concedi summopere desideret.

Conceditur facultas cum iisdem privilegiis, quibus promoti in publica universitate gaudent, et certis sub conditionibus.

§. 3. Nos igitur romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, præsertim vero fel. rec. Leonis pp. X. prædecessoris itidem Nostri, qui, sicut accepimus, plurimis privilegiis, gratiis, et prærogativis ejusdem monasterii archiabbatem pro tempore existentem per suas anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quarto decimo kalendarum junii sub plumbo expeditas literas cumulare non destitit, exempla sequi volentes, firma spe, fiduciaque concepta, eundem ordinem, quo amplioribus gratiis, et favoribus ab apostolica Sede decorari pergat, eo majoris pietatis, obedientiæ, et obsequii erga Nos, et eandem apostolicam Sedem, aliarumque virtutum, et scientiarum fructus editurum fore, supplicationibus ejusdem Danielis archiabbatis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ipsumque Danielem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, eidem Danieli moderno, et pro tempore existenti archiabbati prædicti monasterii sancti Martini facultatem conferendi lauream doctoralem in philosophia, et sacra theologia monachis prædictis, dummodo ipsi ad gradus hujusmodi promovendi, saltem per biennium philosophiæ, et per triennium sacre theologiæ studiis, vel in præfato monasterio sancti Martini, vel in aliis monasteriis prædictis, in quibus studia scientiarum hujusmodi, et doctores deputati sint, ut præfertur, operam navaverint, servatis alias servandis, prout moris est, et in publicis studiorum generalium universitatibus servari solet, ac examini coram quatuor in eisdem facultatibus doctoribus, seu lectoribus per modernum, ac pro tempore existentem archiabbatem hujusmodi nominandis, et deputandis, se omnino subjiciant, eisque laureæ doctoralis, et gradus hujusmodi insignia exhibendi, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et impertimur. Ac præterea quibusvis monachis ad lauream doctoralem hujusmodi, ut præfertur, promotis, ut

ipsi omnibus, et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, ac gratiis, quibus alii in quacumque studiorum generalium universitate ad prædictam lauream doctoralem promoti de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, ac poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, potiri, et gaudere in omnibus, et per omnia, perinde ac si lauream doctoralem hujusmodi in aliqua publica universitate prædicta rite suscepissent, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula præservativa.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subblata, et decretum irritans

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, ac sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die viii. augusti MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 31.
Aug. 1769.
Anno 1.

XXVII.

Commissio archiepiscopo Bononiensi super perpetua translatione celebrationis unius missæ quotidianæ relicta extra mœnia civitatis Bononiensis existent. ad ecclesiam monasterii oratorum monachorum sancti Michaelis in Nemore congregationis montis Oliveti ejusdem civitatis, ut ita monachi qui missam hujusmodi celebraverint choro, et scholis prompte, ac diligenter interesse valeant.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Recensetur institutio celebrationis missæ facta anno 1648. a sacerdote Francisco Giorgi, in ecclesia sancti Hieronimi, et Eustachii Aquarum.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus abbas, et monachi monasterii sancti Michaelis de Nemore nuncupat. congregationis monachorum montis Oliveti ordinis sancti Benedicti istius civitatis Bononien., quod alias nempe anno MDCXLVIII. tunc in humanis agens Franciscus Giorgi presbyter reliquit, seu instituit celebrationem unius missæ quotidianæ in alia ecclesia sanctorum Hieronymi, et Eustachii Aquarum nuncupat. extra mœnia præfata civitatis existent.

Sacra congregatio Concilii celebrationem missæ transferendam indulgentiam in ecclesiam s. Michaelis, et pontifex sacra congregationis resolutionem confirmavit ad triennium.

§. 2. Verum quia monachi ejusdem monasterii, qui pro celebranda hujusmodi missæ ad dictam ecclesiam quotidie se conferre debebant, alia eorum officia tam in choro, quam in scholis prompte, ac diligenter, ut par erat, adimplere minime poterant, et in ecclesia ipsa, præter quinquaginta duas missas diebus dominicis annuatim celebrandas, alterius quotidianæ missæ celebratio non deficiebat, hinc dicti exponentes anno MDCCLXII. supplices porrexerunt preces congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpetrum pro translatione celebrationis præfata missæ quotidianæ a dicto Francisco in memorata ecclesia institutæ ad aliam eorum ecclesiam prædicti monasterii sancti Michaelis, auditaque prius super hisce precibus tua relatione die xiii. martii ejusdem anni petitam gratiam translationis hujusmodi ad triennium tunc proximum, et pro mensibus tantum hyemalibus obtinuerunt; postmodum vero elapso triennio ejusmodi illud die xxix. novembris MDCCLXV. primum ad biennium, ac demum die iv. aprilis MDCCLXVII. ad aliud biennium, et

quidem non tantum pro hyemalibus, sed pro ceteris quoque totius anni mensibus a memorata congregatione prærogatum fuit.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, necessitas exeundi a monasterio prædicto pro celebratione hujusmodi missæ etiam nunc efficiat, ut ii, qui illam celebraturi sunt choro, ac scholis assidue, ac prompte interesse minime possint, non sine gravi periculo regularis disciplinæ observantiæ, quæ, favente Deo, in monasterio prædicto admodum viget, hinc ut in posterum quoque periculum hujusmodi perpetuo avertatur, penitusque deficiat, dicti exponentes facultatem transferendi celebrationem missæ quotidianæ a prædicto Francisco in ecclesia Aquarum, ut præfertur, institutæ, ad ecclesiam ejusdem monasterii sancti Michaelis per Nos perpetuo concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Expostulatur perpetua translatio ipsius celebrationis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petren. dictæ congregationis secretarii, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam perpetuam translationem celebrationis missæ quotidianæ prædictæ ab ecclesia Aquarum hujusmodi ad aliam ecclesiam monasterii sancti Michaelis de Nemore auctoritate apostolica tenore præsentium pro tuo arbitrio, et prudentia gratis concedas, et indulgeas. Decernentes ipsas præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Et gratis conceditur ut melius consultetur regulari disciplinæ pro eis qui celebrare missas teneantur.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac

Clausula sublata, et decretum irritans.

irritam, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus supradicti Francisci etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima augusti anni MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

XXVIII.

Confirmatio literarum Clementis XIII. quibus elargita sunt privilegia nonnulla nonaginta, sic nuncupatis, pacificis viris civitatis Foroliviensis cum deputatione auditoris generalis cameræ in eorum executorem præter episcopum Foroliviensem, ejusque vicarium generalem alias in executores deputatos.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Sollicitudinem providi principis cum in id præcipue deceat animadvertere, ut civitatum, et populorum suæ curæ commissorum quies, et tranquillitas inviolabiliter conservetur, ac magis magisque augeatur, libenter idcirco ea, quæ pro publica pace, ac felicitate concessa sunt, approbationis Nostræ munimine, dum id a nobis petitur, roborare non prætermittimus.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii nonaginta viri pacifici nuncupati civitatis Nostræ Foroliviensis fel. mem. Clemens Papa XIII. prædecessor Noster nonnulla privilegia, gratias, et prærogativas, ac indulta civitati prædictæ pro illius tranquillitate conservanda alias elargita perpetuo approbaverit, et confirmaverit, prout in ejusdem Clementis prædecessoris in simili forma Brevis desuper expeditis literis uberius continetur; tenor vero hujusmodi literarum est qui sequitur, videlicet:

§. 3. Clemens pp. XIII. = Ad perpetuam rei memoriam = In supremo militantis Ecclesiæ solio per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam nullo, licet meritorum Nostro-

rum suffragio, constituti, ea, quæ a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri in favorem civitatum, oppidorum, et locorum temporalis S. R. E. ditionis in pacis amœnitate conservandorum provide, sapienterque constituta, et ordinata esse noscantur, ut firma semper, atque illibata serventur, apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter roboramus.

§. 4. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii nonaginta viri pacifici nuncupati civitatis Nostræ Foroliviensis, quod alias fel. rec. Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis expeditas literas nonnulla privilegia, indulta, gratias, et prærogativas civitati prædictæ concessas perpetuo approbavit, et confirmavit, et alias, prout continetur in ipsius Benedicti prædecessoris literis tenoris sequentis videlicet.

§. 5. Benedictus Papa XIV. = Ad perpetuam rei memoriam = Etsi cuncta, quæ a romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum providentia in favorem civitatum, oppidorum, et terrarum temporalis S. R. E. ditionis in pacis amœnitate conservandorum benigne, sapienterque constituta haud indigere arbitramur, ut novo apostolicæ firmitatis robore muniantur, tamen ut illa magis firma, et illibata custodiantur, libenter, cum a Nobis petitur, nostræ etiam confirmationis munimen adjicere non dubitamus.

§. 6. Cum itaque, sicut dilecti filii nonaginta viri pacifici nuncupati civitatis Nostræ Foroliviensis Nobis nuper exponi fecerunt, quod alias, nempe anno MDXL. ho. mem. Joannes Guidicioni, dum vixit episcopus Forosempromiensi, ac provinciæ Nostræ Romanodiolæ, et exarchatus Ravennæ præsidens pro prospera dictæ civitatis Foroliviensis directione, publica que pace, et tranquillitate, propter fidelitatem ab eadem civitate huic sanctæ Sedi præstitam, unum in eadem civitate nonaginta virorum pacificorum nuncupatorum magistratum erexit, instituitque, nonnulla etiam pro salutari ejusdem magistratus recte administrandi, et in perpetuum conservandi regimine addidit capitula, et ordinationes, atque in forma statutorum digessit, in quibus præsertim continebatur, ut quotquot magistratum hujusmodi tunc temporis, et in futurum obirent, sese sub potestate Sedis prædictæ esse, et fore, illique obedientiam præstare, et ad conservandam, fovendam, reintegrandamque pacem, et tran-

Memoratur privilegiorum series a Benedicto XIV. elargitorum.

Tenor literarum expeditarum a Benedicto XIV.

Unde initium sumpsit privilegia exponitur.

Derogatur contractis.

Dat. die 2 Augusti 1769. Anno I.

Proemium.

Expositio concessionis factæ a Clemente Pontifice XIII.

Tenor chirographi ab eodem Clemente XIII. relaxati.

quillitatem, administrandamque in dicta civitate justitiam paratos, ac promptos esse sacramento obstringerentur.

Et quomodo ab aliis quoque Pontificibus Paulo III. Julio III. et Paulo IV., ac Gregorio XIII. fuerint confirmata.

§. 7. Postmodum capitula, seu statuta hujusmodi a fel. rec. Paulo pp. III. prædecessore Nostro vigore quarundam literarum in simili forma Brevis die xxiv. maji supradicti anni expeditarum approbata fuerunt; subinde Julius III. et Paulus IV. romani itidem Pontifices prædecessores Nostri erectionem, institutionemque dicti magistratus confirmarunt, illumque nonnullis privilegiis, gratiis, et favoribus ditarunt, dictusque Paulus IV. quoque per suas similes literas tertia augusti MDLV. expeditas, hujusmodi institutionem admodum utilem, et fructuosam esse declaravit. Præterea Gregorius Papa XIII. pariter prædecessor Noster erectionem magistratus hujusmodi, ac illius privilegia etiam confirmavit per suas itidem expeditas literas tenoris sequentis videlicet.

Tenor literarum a Gregorio XIII. expeditarum.

§. 8. Dilectis filiis magistratui nonaginta virorum pacificorum civitatis Nostræ Foroliviensis = Gregorius Papa XIII. = Dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem. Eximia fides, et sinceræ devotionis affectus, quibus in apostolicæ Sedis conspectu hactenus claruistis, merito nos inducunt, ut prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, ea, quæ pro publica civitatis nostræ Foroliviensis tranquillitate gesta, vobisque concessa fuisse comperimus, approbationis nostræ præsidio roboremus. Precibus itaque vestris nuper per dilectos filios Claudium Accontium juris utriusque doctorem, et equitem auratum, et Franciscum Guarinum concives vestros ad Nos in hac nostra ad summi apostolatus apicem assumptione, dictamque Sedem a vobis destinatos oratores humiliter porrectis inclinati, erectionem, et institutionem ordinis, et magistratus vestri dudum per bon. mem. Joannem episcopum Forosemproniensem tunc in humanis agentem, ac provinciæ Romandiolæ, et exarchatus Ravenne præsidem ad sex annos ex tunc computandos factam, et deinde ad alios sex annos apostolica auctoritate prorogam, et successive per piæ mem. Julium papam III. prædecessorem Nostrum approbatam, confirmatam, et innovatam, utpote dictæ civitati admodum utilem, et fructuosam, ac salutarem ejus directionem concernentem, nonagenariumque ejusdem ordinis numerum cum omnibus, et singulis ejusdem vestri ordinis, seu magistratus honoribus, oneribus, redditibus, et emolumentis,

nec non omnia et singula privilegia, ordinationes, concessiones, indulta, gratias, et prærogativas eidem vestro ordini tam per Joannem episcopum, et præsidem, ac etiam dum in minoribus constitutus, ac in provincia, et exarchatu prædictis bo. mem. Pauli Papæ III. etiam prædecessoris nostri, et Sedis de latere legatus esset, Julium, quam Paulum præfatos, ac etiam rec. mem. Paulum IV. et Pium etiam IV. romanos Pontifices prædecessores nostros, nec non similis mem. Hieronymum tit. sancti Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem, dum viveret, similiter legatum, ordinationes quoque, et decreta noviter per dilectos filios Joannem Baptistam Doriam notarium Nostrum tunc in provincia, et exarchatu prædictis præsidem pro eundo de nocte sine lumine, et pulsando campanam ad arma, ut occurratur periculis, et tumultibus, ac pro quiete, et pace dictæ civitatis, et Paulum Ramulium de Tarano super Matinatis secundo nubentium, et venerabilem fratrem Salvatorem Pacinum episcopum Clusinensem olim istic vicelegatos pro stantiis palatii per vos ædificatis, et reffectis, et Montem de Valentibus de Trebbio pro dilecto filio Nostro Carolo tituli sanctæ Praxedis præbytero cardinali Borromæo nuncupato tunc provinciæ, et exarchatus prædictorum legato de latere locumtenentem, ut homines vestri ordinis ad testificandum in maleficiis cogi non possent, exceptis tamen ubi poenæ capitales veniunt infligendæ, et in his urgente necessitate, nempe si alii testes haberi non possent, et salvo ipsius præsidis arbitrio, necnon per venerabilem fratrem Hieronymum episcopum Marturanensem similiter tunc præsidem contra delinquentes, et eorum gratias, quibus gratiis illi non aliter, quam forma decreti per eos servata uti possent, ac alios quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostros, dictæque Sedi legatos hactenus quomodolibet concessa, ac prout illa concernunt, quas apostolicas, et alias gratias desuper expeditas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis per rec. mem. Pium pp. V. similiter prædecessorem Nostrum approbatas, et confirmatas: et quoniam illos, qui ab eodem ordine vestro tacite, vel expresse privati erant, et privarentur in futurum, quique vobiscum de magistratu fideliter exercendo non jurassent, nec jurarent in ipso ordine vestro, ejusque magistratus exercitio versari, ac eorum, quæ ibidem pro civitatis pace, et ju-

stitia discutiebantur notitiam habere non mererentur, vobis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo factam per eundem Pium V. inhibitionem, ne deinceps futuris perpetuis temporibus de illis in numerum, vel ordinem vestrum recipiendis invicem ullatenus tractare praesumeretis, ne videlicet ipsi indigni utique iudicati ullam status, rerumque vestrarum turbatum occasionem haberent, ac decretum ejusdem Pii praedecessoris, per quod eos, qui vestri ordinis hominibus dum contra delinquentes, aut factiosos, vel ex quacumque causa suspectos officium suum exquerentur, se opponerent, vel eosdem impedire vellent, illas met poenas, quas hi, qui se officialibus civitatum opposcentes, vel illorum officium impedire volentes, incurrerent, ipso facto incurrere, et incidere declarabatur; ac insuper custodiae vestrae, nec non viginti militum ad eam pro vestra, et dictae civitatis, sui que palatii securitate deputatorum stipendium, et ejus assignationem juxta formam literarum dicti Pauli III. praedecessoris hactenus observatam, ac redditus, et emolumenta per dilectos filios communitatem ipsius civitatis ordini vestro concessos, una cum capitulis, ordinationibus, constitutionibus, decretis, privilegiis, ordinibus, legibus, emolumentis, redditibus, solutionibus, licentiis, gratiis, praerogativis, honoribus, et oneribus dicti numeri, seu magistratus per Paulum III. Julium III., Paulum IV., Pium IV., et Pium V. praedictos concessis, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac illis, perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem supplemus, illaque omnia perpetuis futuris temporibus durare, et inviolabiliter observari debere decernimus, et declaramus, nec non approbationem, confirmationem, adjectionem, supplementationem, decretum, et declarationem hujusmodi, aliaque praemissa, ac praesentes literas quovis quaesito colore, vel ingenio de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu nullatenus notari, vel impugnari posse, sed illa semper valida, et efficacia fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari, vobisque suffragari, etsi per quoscumque etiam dictae Sedis legatos, vicelegatos, praesides, et gubernatores,

Bull. Rom. Tom. IV.

aliosque quoslibet iudices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane decernimus.

§. 9. Quocirca venerabili fratri episcopo Foroliviensi, et dilecto filio ejus vicario in spiritualibus generali, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra vos approbatione, confirmatione, adjectione; suppletionem, declarationem, et decreto, aliisque praemissis juxta earumdem praesentium tenorem pacifice frui, et gaudere non permittentes vos, vel aliquem vestrum desuper per legatos, vicelegatos, praesides, gubernatores, aliosve magistratus praedictos, aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, et rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis, vel praeminentiae fuerint per censuras, et poenas tam ecclesiasticas, quam pecuniarias arbitrio suo moderandas, imponendas, et applicandas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit auxilio brachii saecularis.

§. 10. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac provinciae, et exarchatus, civitatisque praedictorum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem legato, vicelegato, praesidi, gubernatori, et aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiam motu proprio quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die viii. octobris MDLXXII.

Deputatio in iudices executores facta in personam episcopi, et vicarii generalis Foroliviensis.

Derogatio contrarium.

pontificatus Nostri anno primo. = Cæsar Glorierius = Loco ✕ annuli piscatoris.

Etiam Sixtus V. privilegia confirmavit, aliasque indulgentias concessiones favorabiles quas postea et Urbanus Papa VIII. probavit.

§. 11. Insuper Sixtus V. pariter prædecessor Noster per suas etiam in simili forma Brevis viii. et x. respective diebus julii anni MDLXXXIV. datas literas non solum præscriptam erectionem magistratus hujusmodi, ac privilegia eidem concessa approbavit, et confirmavit, verum etiam custodiam aggerum, seu fossarum dictæ civitatis, ac redditus, proventus, juraque portæ de Ravalдино dictæ civitatis in locum reddituum, proventuumque nauti unius navis, aliasque gratias, et prærogativas concessit, et assignavit, præter autem approbationem ejusdem magistratus a rec. mem. Clemente VIII., Gregorio XV. et Paulo V. romanis Pontificibus prædecessoribus quoque Nostris factam, fel. itidem rec. Urbanus pp. VIII. pariter prædecessor Noster erectionem hujusmodi approbavit, et confirmavit per alias suas literas, tenoris qui sequitur videlicet.

Tenor literarum editarum ab Urbano papa VIII.

§. 12. Urbanus pp. VIII. ad futuram rei memoriam. Fidelium quorumlibet præsertim ditionis Sedis apostolicæ subditorum votis libenter annuimus, ac iis quæ pro ipsorum subditorum commodo, et utilitate, ac civitatum nostrarum securitate a dicta Sede concessa fuisse comperimus, ut firmiter subsistant confirmationis nostræ manum apponimus, prout in Domino conspicimus expedire. Nuper siquidem dilecti filii nonaginta viri pacifici nuncupati civitatis Nostræ Foroliviensis per dilectos filios Antonium Portium, Paulum dall' Aste eorum ad Nos cives Forolivienses oratores destinatos Nobis exponi fecerunt, quod alias fel. rec. Sixtus pp. V. prædecessor Noster, postquam diversi romani Pontifices etiam prædecessores Nostri, quamplurimas gratias, et indulta ordini dictorum nonaginta virorum concesserant erectionem, et institutionem dicti ordinis cum omnibus, et quibuscumque illius honoribus, et oneribus, redditibus, et emolumentis etiam per dilectos filios dictæ civitatis communitatem, vel alias concessis, et assignatis, nec non omnia, et quæcumque privilegia, indulta, ordinationes, concessionem, licentias, gratias, et prærogativas eidem nonaginta viris, illorumque ordini per quoscumque romanos Pontifices, et Sedem prædictam, illiusque etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque civitatis gubernatores quomodolibet concessa, et seu decreta confirmavit, et approbavit, ac omnia emolu-

menta portæ Ravalдино nuncupatæ dictæ civitatis, alias cameræ apostolicæ incorporata dicto ordini concessit, et assignavit, ac alias prout in singulis ipsorum prædecessorum literis, aliisque scripturis desuper confectis plenius continetur. Cumque prædicti nonaginta viri cupiant præmissa omnia pro illorum firmiori subsistentia etiam per Nos confirmari, et approbari, Nobis humiliter supplicari fecerint, quatenus eorum desiderio hujusmodi annuere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur singularum literarum, ac scripturarum prædictarum, ac omnium, et singulorum in eis contentorum, aliorumque de necessitate exprimendorum tenores etiam veriores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, et singula fructus, redditus, et proventus jura, obventiones, et emolumenta undecumque provenientia, et in quibuscumque rebus consistentia eidem nonaginta viris, illorumque ordini quomodolibet applicata, et assignata, in quorum pacifica possessione nonaginta virorum eorundem ordo existit, nec non omnia, et singula privilegia, ordinationes, concessionem, licentias, facultates, gratias, exemptiones, honores, prærogativas, et indulta per quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostros, dictamque Sedem, illiusque etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque civitatis gubernatores, nec non illius communitatem, et homines, seu alios quoscumque quomodolibet concessa, nec non singulas literas, aliasque scripturas desuper confectas, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuæ, et apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illaque omnia, et singula per communitatem, et homines prædictos perpetuo observari volumus, et mandamus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus.

§. 13. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ modernis, et pro tempore existentibus episcopo Foroliviensi, et dictæ civitatis gubernatori, quatenus ipsi, vel eorum alter singula præmissa, et alia quæcumque eidem nonaginta viris, illorumque ordini quomodolibet concessa ab illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum inviolabiliter observari, dictosque nonaginta viros illis

Sanctio penalis.

omnibus pacifice frui, et gaudere: faciant, atque mandent, non permittentes eos, et eorum quemlibet per quoscumque molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, ac censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§. 14. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac provinciæ Romandiolæ, et exarchatus Ravennæ, nec non dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac omnibus illis, quæ dicti prædecessores in singulis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xiv. novembris MDCXXV. pontificatus Nostri anno tertio = V. Theatin. = Loco ✠ annuli piscatoris.

§. 15. Denique piæ mem. Clemens papa XI. itidem prædecessor Noster omnia, et singula præmissa per suas desuper in pari forma Brevis die xi. augusti MDCCL. confirmavit pariter, et approbavit, quarum omnium literarum tam dicti Clementis XI. quam Pauli III. Julii, Pauli IV. Sixti, Clementis VIII. Gregorii et Pauli V. prædecessorum prædictorum tenores præsentibus pro expressis, et insertis haberi volumus, et in quibus plenius dicitur contineri.

§. 16. Quoniam autem dicti exponentes, qui præclara suæ fidelitatis, debita erga eandem Sedem apostolicam argumenta semper præstiterunt, et in pacis, tranquillitatisque publicæ studio se comendarunt, humiliter supplicari fecerunt, ut præinsertas literas et præmissa omnia in aliis memoratorum Pontificum prædecessorum literis expressa apostolicæ etiam nostræ confirmationis patrocinio corroborare dignemur.

§. 17. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Gregorii XIII.

Alia confirmatio privilegiorum concessa a Clemente XI.

Nonaginta vitorum pacificorum merita enumerantur.

Prævia absolutio a censuris nova privilegiorum omnium confirmatio indulgetur.

et Urbani VIII. prædecessorum prædictorum literas, omniaque, et singula in eis contenta, et a memoratis Paulo III. Julio, Paulo IV. Sixto, Clemente VIII. Gregorio, Paulo V., et Clemente XI. prædecessoribus, ut præfertur, concessa, approbata, et confirmata auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus pariter, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac perpetuis futuris temporibus inviolate, et inconcusse servari mandamus, et præcipimus, ac privilegia, gratias, indulta, prærogativas, et alia præmissa ab eisdem, et aliis romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri eidem magistratui concessa, et assignata, quatenus opus sit, de novo concedimus, et assignamus.

§. 18. Decernentes easdem præsentis literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula præservativa.

§. 19. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. prædictæ cardinales etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, præsides, et gubernatores, ac quoscumque alios quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 20. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quæ in præinsertis Gregorii XIII. et Urbani, ac aliis præfatorum prædecessorum literis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii anni MDCCXLI. pontificatus nostri anno primo = D. cardinalis Passioneus = Loco ✠ annuli piscatoris.

Specialis, et generalis derogatio contrarium.

§. 21. Quoniam autem dicti exponentes præinsertas literas, ut firmiter subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes quos paternis complectimur affectibus, amplioribus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eo-

Alia confirmatio privilegiorum edita a Clemente XIII.

rum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas ipsius Benedicti prædecessoris Nostri literas, ac in eis contenta quaecumque, et expressa tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, et, quatenus opus sit, innovamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adjungimus, illasque adversus quemcumque non usum, sive desuetudinem, et inobservantiam, nec non quemvis ab usum, et contrarium usum, contrariamque observantiam, etiam forsam publicam, et notoriam, et quantolibet tempore toleratam in integrum, ac pristinum statum restituumus, reponimus, et reintegramus.

Clausula subla-
ta, et decretum
irritans.

§. 22. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quæ idem Benedictus prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti MDCCLIX. pontificatus Nostri anno secundo = D. cardinalis Passionis = Loco ✠ sigilli.

Novæ præces
pro ultima con-
firmatione pri-
vilegiorum, et
deputatione
novi iudicis e-
xecutoris in lo-
cum episcopi,
et vicarii Foro-
liviensis.

§. 23. Quo igitur firmiter præinsertæ literæ subsistant, et serventur exactius, dicti exponentes illas apostolicæ etiam confirmationis Nostræ patrocinio communiri, aliumque executorem præter pro tempore existentem episcopum Foroliviensem, ejusque vicarium generalem a memorato Gregorio XIII. prædecessore in suis respective literis prædictis constitutos, per Nos quoque constitui, et deputari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis op-

portune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 24. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas ipsius Clementis XIII. prædecessoris literas, ac in eis contenta quaecumque, et expressa tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, innovamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adjungimus, illasque adversus non usum, sive desuetudinem, et inobservantiam, nec non quemvis ab usum, et contrarium usum, contrariamque observantiam etiam forsam publicam, et notoriam, et quantolibet tempore toleratam in integrum, ac pristinum statum restituumus, reponimus, et reintegramus.

Absolutio a
censuris, et
confirmatio pri-
vilegiorum, et
indultorum,
cum exclusio-
ne cujusvis a-
busus etiam ab
immemorabili
tempore intro-
ducti.

§. 25. Atque insuper dilectum filium causarum curiæ cameræ apostolicæ generalem auditorem, præter pro tempore existentem episcopum Foroliviensem, ejusque vicarium generalem in executores ab ipso Gregorio prædecessore, ut præfertur, constitutos, et deputatos cum eisdem facultatibus, auctoritate, et tenore prædictis præsentium quoque executorem constituimus, et deputamus.

Et seligitur e-
xecutor litera-
rum, curiæ e-
cameræ apostoli-
cæ generalis
auditor.

§. 26. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula præ-
servativa.

§. 27. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irri-
tans.

§. 28. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quæ idem Clemens XIII. prædecessor Noster in dictis suis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti anni MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio con-
trartiorum.

Dat. die 11.
Sept. 1769.
Anno 1.

XXIX.

Prævia avocatione causæ, commissariis generalibus Indiarum ordinis sancti Francisci de observantia in conventu ejusdem sancti Francisci oppidi Matriti Toletanæ diœcesis pro tempore commorantibus indulgetur, seu de novo indulgetur facultas comunicandi suos subditos feria V. in Cœna Domini in cappella privata dicti conventus, quæ publica declaratur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Præmium.

§. 1. **S**acrosancti apostolatus officium superni dispositione consilii Nobis, nullo licet meritorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes exorta inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate, et justitia, paceque fraterna reddere decet, animorum dissidia opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quodcumque excitari valeant ansam mature præcidere studemus, sicut omnibus mature perpensis, arbitramur in Domino expedire.

Exponitur quomodo conventus s. Francisci esset in possessione cotuitandi subditos quolibet anno feria V. in Cœna Domini, et quomodo ea possessione ex-poliatu extiterit a ministro generali ordinis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de la Vega frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupat., ac commissarius generalis Indiarum, quod licet omnes sui in officio hujusmodi pro tempore existentes prædecessores in conventu sancti Francisci ejusdem ordinis oppidi civitatis nuncupat. Matriti Toletanæ diœcesis anno quolibet feria V. in Cœna Domini sanctissimum Eucharistiæ sacramentum propriis subditis, et familiaribus in cappella conventus prædicti, ad quam per scholas ejusdem conventus aditus patet, spatio centum septuaginta annorum ministrare consuevisent, nihilominus dilectus itidem filius Petrus Joannetius de Molina anno MDGCLL, quo tempore munere ministri generalis dicti ordinis fungebatur, hujusmodi possessionem, in qua, ut præfertur, commissarius generalis Indiarum prædictus existebat, perturbare satagit, mandando, ut fratres omnes quacumque dignitate præditi feria V. hujusmodi de manu celebrantis in ecclesia dicti conventus communicari deberent, itaut decreto huic idemmet tunc existens commissarius generalis Indiarum ad quas-

cumque contentiones vitandas, pro illa tamen vice dumtaxat, obtemperaverit.

§. 3. Res deinde quievit usque ad annum MDCCCLXVII. quo tempore dictus Petrus Joannetius idem munus generalis ministri sibi bis commissum jam jam absoluturus erat, et in actoris figura eandem præteensionem iterum excitare ipse non destiterit, super qua carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus sententiam venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum exquirendam esse censuit.

Hispaniarum rex jussit ut super controversia exquireretur votum sac. congregationis sac. ritibus præpositæ.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi lis coram eisdem cardinalibus adhuc pendeat indecisa, dictus vero Emmanuel, ut pax, et concordia inter religiosos potissimum viros quam maxime exoptabilis firma consistat, litem hanc per Nos penitus extinguere, ipsumque, et suos in officio commissarii generalis hujusmodi successores prædicta possessione comunicandi feria V. in Cœna Domini suos subditos, et familiares gaudere jugiter posse plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Exorta autem gravis lis coram eadem sacra congregatione ad illam extinguendam Pontificia ex-quisita fuit auctoritas.

§. 5. Nos igitur perpetuæ eorundem christifidelium, qui ad tranquillum religionis portum confugerunt, quieti, ac tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, eundemque Emmanuelem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit; hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censeutes, hujusmodi supplicationibus inclinati, motu etiam proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eandem causam, ac lites, et controversias quascumque super præmissis inter antedictas partes quomodocumque pendentes, quarum omnium, et singularum statum, et merita, et alia quæcumque etiam specificam, et individuum mentionem, et expressionem requirunt præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime specificatis haberi volumus in statu, et terminis, in quibus de præsentibus reperiantur, ad Nos harum serie advocamus, illasque omnes, et singulas supprimi-

Et in re manus apposuit Pontifex, ad perpetuam religionis tranquillitatem servandam, et causam advocavit ad semetipsum in statu, et terminis.

mus, perimimus, extinguimus, et abolemus, atque perpetuum desuper utriusque parti silentium imponimus, osque occludimus.

Jussit autem ut commissarii generales Indiarum in dicta feria V. in Coena Domini, subditos communicare possent in ecclesia conventus, quam quoque publicam declaravit.

§. 6. Præterea earumdem tenore præsentium statuimus, et ordinamus, ut in posterum perpetuis futuris temporibus nunc, et pro tempore existentes commissarii generales Indiarum hujusmodi in dicto conventu commorantes anno quolibet feria V. in Coena Domini, ante tamen celebrationem missæ conventualis in ecclesia memorati conventus peragendam, ipsi quoque in dicta cappella sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, et suis subditis, ac familiaribus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ministrare libere, et licite possint, et valeant; atque insuper eandem cappellam, licet illius janua viæ publicæ minime adiaceat, sed ad eam per scholas præfati conventus aditus pateat, nihilominus publicam esse motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus decernimus, et declaramus; nec non campanam desuper in publico loco, unde ab omnibus videri, et ejus sonitus audiri possit, pro usu cappellæ prædictæ apponendam esse volumus, et mandamus.

Clausula præservativa.

§. 7. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus quoque opus sit, ordinis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis su-

perioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXX.

Die die 16
Sept. 1769.
Anno I.

Prohibitio extrahendi paramenta, et ornamenta ex ecclesia conservatorii mulierum civitatis Agrigentinae.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **C**onservationi, et maintenancei ornamentorum, ac paramentorum ecclesiæ, collegii, seu conservatorii di Maria vulgo nuncupat. mulierum conciviticium etiam nuncupat. civitatis Agrigentinae, quantum cum Domino possumus benigne consulere, ac dilectas in christo filias mulieres dicti collegii, seu conservatorii specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quaecumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: ne de cætero quisquam quavis auctoritate, superioritate, vel officio fungens, vasa, calices, candelabra, et alia paramenta, et ornamenta ecclesiastica ex aureo, vel argento, aut alia quavis materia confecta, nec non aliam quamcumque suppellectilem sacram ad dictam ecclesiam nunc, et pro tempore quomodolibet spectantem aliis ecclesiis, vel locis piis, aut personis quibuslibet commodare, vel

Ut consulatur conservationi, et maintenancei ornamentorum, et paramentorum prohibetur eorum extractio ab ecclesia, sive ejus sacristia sub poena excommunicationis latae sententiæ, et ipsi uni summo Pontifici reservata.

sub quovis quæsito colore, causa, vel ingenio e prædicta ecclesia extrahere, et asportare; seu ut commodentur, aut extrahantur, et asportentur permittere, aut consentire audeat, quovis modo, seu præsumat, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus valeat obtinere, auctoritate apostolica, tenore præsentium prohibemus, et interdici-

Derogatio contrariorum, et præceptum de retinendo exem-
plari prohibitionis in loco conspicuo ipsius ecclesiæ, vel sacristiæ.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ ecclesiæ, vel illius sacristiæ, aut alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni, et legi possit assidue affixum remaneat. Cæterum per præsentem non intendimus prædicti collegii, seu conservatorii institutum, aut denominationem in aliquo approbare. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima sexta septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXXI.

Dat. die 23.
Septemb. 1769
Anno I.

Magistratui civitatis Imolen. indulgetur ut in publicis functionibus secumferre possit custodiam duodecim militum.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam civitatis Foroliviensis, et Faventinæ magistratus gaudet privilegio habendi cohortem duodecim militum, cum ad functiones publicas accedit, eodem jure frui posse civitas Imolen. ex postulat, quæ ad iustar prædictarum civitatum habet consilium nonaginta pacificorum virorum, et cohortem ducentorum virorum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus civitatis Nostræ Imolen., quod in dicta civitate extat consilium nonaginta virorum pacificorum nuncupatorum, quorum caput prior nuncupatur, et quolibet bimestri ab eodem consilio eligitur, sique muneris exercitium initio cujuslibet bimestris assumendo, ingressum, ac interventum communem habet cum dicto magistratu, qui itidem bimestri quolibet mutatur, et ab ipso priore e domo suæ habitationis excipitur; idem vero consilium pacificorum hujusmodi suam habet cohortem ducentorum peditum militum, qui vulgo confidati nuncupan-

tur, et quibus dictus prior pro tempore existens tantummodo imperat. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quoties magistratus Nostrarum civitatum Foroliviensis, et Faventinæ functionibus publicis intersunt custodiam duodecim militum similis cohortis eodem confidatorum nomine nuncupat. secum deferre soleant, ita quoque dicti exponentes eandem custodiam duodecim militum confidatorum prædictorum quoties una cum priore consilii nonaginta pacificorum ad publicas functiones accedant, secum deferre posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, nunc, et pro tempore existenti magistratui dictæ civitatis Imolensis, ut quotiescumque magistratus hujusmodi una cum dicto priore consilii nonaginta pacificorum ad publicas functiones accedat, custodiam duodecim militum confidatorum ejusmodi secum deferre libere, et licite possit, ac valeat, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis

Quod privilegium indulgetur magistratui quoties una cum priore consilii nonaginta virorum pacificorum, ad publicas functiones se conferat.

Decretum quod privilegii executionem impedit, cum clausula sublata facultate aliter judicandi.

Derogatio contrariorum.

superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 26.
Septemb. 1769.
Anno I.

XXXII.

Privilegium, quod Lucas Antonius Cracas obtinuerat super impressione libri = delle Notizie = ac ephemeridum publicorum nuntiorum sub titulo Diarii favore hæredum ipsius Lucæ Antonii confirmatur, et ampliat.

Clemens Papa XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Benedicto XIII
suis preces por-
rexit Lucas An-
tonius Cracas
pro obtinendo
privilegio im-
primendi li-
brum -- delle
Notizie -- et e-
phemerides sub
titulo Diarii.

§. 1. Alias felicitatis recordationis Benedicto pp. XIII. prædecessori Nostro pro parte filiorum, et hæredum quondam Lucæ Antonii Cracas exposito, quod dictus Lucas Antonius anno MDCCXXVI. quemdam libellum inscriptum = delle Notizie =, nec non ephemerides publicorum nuntiorum sub titulo Diarii *di avvisi* lingua vulgari italica in alma urbe Nostra, et tunc sua evulgare cæpisset, et ab inde citra tam dictus Lucas Antonius, quam post ejus decessum illius filii, et hæredes prædicti libellum, et ephemerides hujusmodi edere, et imprimere perrexissent, ipsique filii, et hæredes illa quoque in posterum imprimi facere intendebant; verebantur autem; ne alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, libellum, et ephemerides præfatos in ipsorum exponentium præjudicium iterum imprimi facere curarent.

§. 2. Idem Benedictus prædecessor eorum indemnitati consulere volens, ac supplicationibus tunc ab illis porrectis inclinatus eisdem filiis, et hæredibus, ut ad duodecim annos tunc proximos, dummodo tamen ejusdem libellus, ac ephemerides prius a pro tempore existente sacri palatii apostolici magistro approbati essent, nemo tam in urbe prædicta, quam in reliquo statu ecclesiastico prædictum libellum, et ephemerides ab ipsis usque tunc evulgatos, et in posterum evulgandos in toto, vel in parte, sub eisdem, vel aliis titulis, aut aliud simile opus, seu opera sine dictorum filiorum, et hæredum, aut ab eis causam habentium speciali licentia imprimere, aut ab eis, vel aliis impressa vendere, aut venalia habere, seu proponere posset, sub certis prohibitionibus, inhibitionibus, modo, et forma tunc expressis concessit, et indulgit, ac alias prout in ejusdem Benedicti prædecessoris die decima sexta decembris anni MDCCXXVI. in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem presentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecit dilecta in Christo filia Catharina Cracas unica ex sua familia superstes, privilegium hujusmodi a memorato Benedicto XIII. prædecessore, ut præfertur, concessum, sibi deinde a rec. mem. Benedicto XIV., et Clemente XIII. prædecessoribus quoque Nostris romanis Pontificibus suis rescriptis prorogatum, et confirmatum fuerit, ac præterea idem Clemens prædecessor dilectum filium Alexandrum Burlini, qui suam in his rebus operam spatio annorum viginti, et octo jam contulerat, ejusdem exponentis coadjutorem, quoad res prædictas, declaraverit, cupiatque modo privilegium hujusmodi sibi, et post ejus obitum dicto Alexandro, ut præfertur, ejus coadjutori prorogari, atque ad relationes functionum omnium, que in alma urbe prædicta pro tempore peragantur per Nos extendi, et ampliari. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 4. Nos igitur Catharinam, et Alexandrum prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententijs,

Et Pontifex ille privilegium indulgit, nonnullis sub conditionibus ad duodecim annos, dummodo impressio approbata esset a magistro pro tempore existente S. P. A.

Preces porrectas a Catharina Cracas unica filia superstite, ut vetus privilegium a Benedicto XIV. et Clemente XIII. prorogatum, confirmaretur cum coadjutoria in personam Alexandri Burlini.

Prævia absolutio a censuris privilegium confirmatur ad vitam Catharinæ et post ejus funus favore Burlini cum

omnibus primitivis prohibitionibus et poenis.

et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegium prædictum a memorato Benedicto XIII. ad duodecim annos, ut præfertur concessum, et a Benedicto XIV. ac Clemente XIII. prædecessoribus Nostris prædictis prorogatum ad vitam tam ejusdem Catharinæ, quam post ejus obitum præfati Alexandri, auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus, idemque privilegium ad relationes omnium functionum in dicta urbe pro tempore peragendarum cum iisdem prohibitionibus, inhibitionibus, et sub iisdem poenis in præfatis literis Benedicti XIII. prædecessoris contentis, et expressis auctoritate, et tenore prædictis extendimus, et ampliamus.

Derogatur contrariis.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XXXIII.

Dat. die 14
Octobris 1769
Anno I.

De pestifero, et venenato libro Justinii Febronii noviter recudendo, agitur cum archiepiscopo Trevirensi, ejusque pastoralis excitatur sollicitudo, ut antequam prodire possit subfocetur.

Venerabili fratri Clementi archiepiscopo Trevirensi et episcopo Augustano S. R. I. principi electori.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncium acceptum de clandestina impressione Francofurti facienda exponitur.

§. 1. Perlatum ad Nos est perniciosum Justinii Febronii librum novis clam typis Francofurti recudi, cumque multo auctiorem, aliisque ad pristinos

Bull. Rom. Tom. IV.

congestis, ac undique compilatis erroribus refertum iterum esse proditurum. Nos sane pro ea, qua esse debemus pastoralis sollicitudine, vehementer veremur, ne nova exinde in universam Nobis commissam Ecclesiam detrimenta inferantur, aut jam illata latius propagentur.

§. 2. Tua igitur perspectissima Nobis pietate freti, ac egregii de Ecclesia studii plane memores, cujus illustre extat monumentum in præclara famosi illius operis proscriptione, quam dum episcopus Frisingensis esses, plurima cum laude peregisti, novum nunc tibi hujusmodi tui decoris amplificandi argumentum proponimus, ac a te, venerabilis Frater, maiorem in modum petimus ac flagitamus, ut pro tua qua polles dignitate, tantique nominis auctoritate, omnem curam, operam, ac diligentiam ponas, ut venenatus ille ac pestifer fœtus, antequam iterum in lacem prodire possit, suffocetur. Magna istic viges apud omnes existimatione, præclara sunt multorum erga te studia, plurimum tibi quisque et pro nobilitate, et virtutis tuæ splendore defert.

Landes archiepiscopi, qui alias nefarium librum proscripsit.

§. 3. Quæ quidem accepta a Deo munera ad Dei ipsius causam conferre debes, ad tuendam scilicet Ecclesiæ tranquillitatem et pacem, ac ad veterem, quæ in ipsa Ecclesia est, integram atque incolumen retinendam, conservandamque doctrinam. Ad id egregie præstandum opportunitates vigilantia tuæ minime deerunt, cum eandem non solum arripere, sed inducere etiam, ac excitare, si opus sit, industria, atque auctoritate possis.

Ut munera a Deo accepta, ad Dei ipsius causam convertat exortat Pontifex.

§. 4. Feceris igitur non solum pro episcopali, quo eximie fungeris munere, sed pro tui etiam animi ac generis splendore, proque illa, quæ in te potissimum enitescit, pietate ac religione, si eruptionem iterum tantam errorum pestem mature oppresseris. Confirmabis tum præclaram nostram de singulari virtute tua opinionem, ac ita nostrum erga te animum devincies, ut nullum sit pontificiæ benignitatis genus, quod in te conferre ac cumulare non maxime cupiamus. Ac in hujus lulentissimæ erga te Nostræ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur. Datum in arce Gandulphi Albanensis diocesis die decima quarta octobris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Et multam tam apud Deum, quam apud sanctam Sedem gratiam inde consecuturum fore promittit.

Dat. die 20
Oct. 1769.
Anno L.

XXXIV.

Erectio collegii in oppido Vallettæ Melevitanæ diœcesis cum privilegiis universitatis studiorum generalium immediate subjecti sanctæ Sedi, reservata approbatione legum, et regularum.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quantum ad christianæ rei publicæ bonum conferant universitates, et gymnasia studiorum exponitur.

§. 1. **S**edula romani Pontificis providentiã uberes fructus, ac ingentia bona, quæ ex recte institutis studiorum generalium universitatibus, et gymnasiis in christianos adolescentes optimis artibus, et doctrinis ibidem imbutos procedunt, attente considerans, ad ea, per quæ universitates, et gymnasia huiusmodi stabiliantur, et feliciora in dies suscipiant incrementa, propensis studiis intendit, sui que pastoralis officii partes favorabiliter interponit, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, catholicæ religionis præsidium, atque ad christifidelium commodum, utilitatem, et decus in Domino conspicit expedire.

Preces portæ pro erectione collegii, sumptibus hospitalis Hierosolymitani.

§. 2. Sane pro parte dilecti filii fratris Emmanuelis Pinto magni magistri hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani Nobis nuper expositum fuit, quod cum ipsi quam maxime cordi sit, ut tam hi, qui inter fratres cappellanos clericos, seu diaconos conventuales dicti hospitalis nomen vel dederunt, vel in posterum daturi sint, quam adolescentes omnes civitatis, et insulæ Melevitanæ recte instrui, ac educari possint; idcirco in oppido civitate nuncupata Valletta unum collegium pro eorumdem fratrum cappellanorum clericorum, seu diaconorum conventualium educatione fundare, et erigere constituit, prædictis fratribus ex communi ærario hospitalis huiusmodi suppeditando una cum victu, alia etiam, quæ pro congrua eorum mantentione, et substentatione requiri possent: ut autem bonum, et utilitas, quæ adjuvante Deo, ex huiusmodi foundatione, et erectione obventura sunt, in alios quoque protendantur, idem Emmanuel præter fratres cappellanos præfatos, adolescentes quoque, qui propriis impensis ibidem studiis dare operam velint, in idem collegium admittendos esse decrevit, unamque insuper in collegio huiusmodi studiorum generalium universitatem constituere intendit cum con-

gruo lectorum, magistrorum, præceptorum, et doctorum numero, qui tam alumnis ejusdem collegii, quam etiam publice omnibus aliis illius scholas frequentare volentibus sacram theologiam, aliasque ingenuas artes, ac disciplinas, quæ ad Dei gloriam, atque ecclesiasticæ disciplinæ incrementum utiles, ac necessariæ dignoscantur publice omnibus explanare sint obstricti.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione subungebat ipse Emmanuel, præmissa omnia pro publico bono inventa, et ab eo excogitata, ut firmiora subsistant, apostolicæ confirmationis Nostræ auctoritate commuiri, eisdemque universitati privilegia, et indulta studiorum generalium per Nos concedi, illiusque ecclesiam, et domum, in qua collegium huiusmodi fundandum, erigendumque erit, cum adnexis, seu ab eo dependentibus, et in insula Melevitana existentibus ab ordinaria jurisdictione pro tempore existentis episcopi Melevitani ad instar aliorum locorum conventualium ejusdem hospitalis per Nos exempta declarari plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur laudabilibus dicti Emmanuelis votis annuere volentes, ejusque zelum, solitudinemque in promovendis facultatum studiis tam inter ejusdem hospitalis fratres cappellanos conventuales prædictos, quam in omnes adolescentes insulæ Melevitanæ quam maxime in Domino commendantes, atque omnia, quæ in opus istud conferre idem Emmanuel sua liberalitate intendit, ut inde juvenus bonis artibus, scientiisque imbuta Ecclesiæ, hospitali prædicto, ac toti reipublicæ utilior magis magisque evadat, recte quidem in causam hanc collata esse putantes, ipsumque Emmauelem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, et foundationem collegii, et universitatis studii generalis in memorato oppido civitatis unocupatæ Vallettæ a prædicto Emmauele, ut præfertur, peragendam cum omnibus, et singulis iis, quæ pro eorum conservatione, mantentione, et incremento ab ipso una cum suo, ac dicti hospitalis consilio super redditibus

Quod ut firmiter consideret, apostolica auctoritate commuiri exoptatur.

Laudes Emmanuelis Pinto magni magistri ordinis, cui tribuitur facultas omnia peragendi cum consilio hospitalis pro conservatione, mantentione, et incremento collegii, et universitatis studiorum, cujus erectio confirmatur.

communis ærarii, seu aliis bonis hospitalis hujusmodi assignari, et applicari contigerit, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, eisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Domus, et ecclesia eximitur cum omnibus eorum descendentiis a jurisdictione episcopi Melevitani.

§. 5. Ecclesiam quoque, et domum, in quibus universitas, et collegium hujusmodi erecta, et fundata fuerint, domosque, et ecclesias ab ipsis dependentes, et in insula prædicta existentes pleno jure exempta esse a quocumque dominio, visitatione, potestate, et jurisdictione pro tempore existentis episcopi Melevitani, Nobisque, et sanctæ Sedis immediate subjecta auctoritate, et tenore prædictis decernimus, et declaramus, illaque omnibus juribus, et privilegiis, quibus aliæ ecclesiæ, domus, et loca conventualia dicti hospitalis potiuntur, et gaudent, frui, ac potiri debere volumus, atque mandamus.

Et conceditur jus conferendi baccalaureatum, licentiatum, doctoratum, et magistraturam, servata forma ab œcumenicis conciliis voluta, et præcepta.

§. 6. Ac propterea uni personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, et in conficiendis legibus, ac regulis collegii, et universitatis hujusmodi designandæ, ut ipsa eos, qui ibidem per debitum tempus studiis operam dederint, ac prævio examine in aliis universitatibus apostolica auctoritate approbatis fieri solito, accedente judicio professorum prædictæ universitatis per secreta suffragia ferendo, scientia, et moribus idonei reperi fuerint, ad hujusmodi jurium, artium, ac theologiæ facultatum baccalaureatus etiam formati, licentiaturæ, doctoratus, et magistraturæ gradus, (servata tamen in omnibus et per omnia forma decretorum Viennensis, et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus) promovere, et eorundem graduum respective insignia ad eosdem gradus sic etiam respective promotis exhibere, ut ad dictos gradus sic per illam promoti postea publice, et privatim, etiam in omnibus aliorum studiorum generalium universitatibus facultates ipsas interpretari, aliosque docere, ac de eis disputare, omnibusque pariter privilegiis, præeminentiis, prærogativis, et gratiis, favoribus, ac indultis, quibus alii in aliis universitatibus hujusmodi ad gradus præfatos promoti de jure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere poterunt in futurum in omnibus, et per omnia, perinde ac si in aliis universitatibus hujusmodi gradus ipsos juxta illarum consuetudinem, et mores vere suscepissent, etiam uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite pos-

sint, et valeant licentiam tribuimus, et facultatem.

§. 7. Volumus autem, ut pro recto, et feliciori universitatis, et collegii hujusmodi gubernio prædictæ leges, et regulæ ope virorum scientia, ac pietate præstantium, et in rebus hujusmodi peritorum confici quamprimum omnino debeant, et postquam confectæ fuerint, ut præfertur, earundem legum, et regularum confirmationem, et approbationem, prævio debito earum examine, apostolica auctoritate peragendam Nobis per præsentis reservamus; atque insuper decernimus, et mandamus, ut anno quolibet, antequam studiis operam dare prædicti omnes incipiant, magistri, lectores, et doctores, aliique collegii, et universitatis hujusmodi artium prædictarum professores fidei catholicæ professionem juxta articulos pridem a Sede apostolica propositos emittere omnino teneantur in manibus dilecti filii nunc, et pro tempore existentis Sedis prædictæ inquisitoris Melevitani, cui semper, et quodcumque in iis omnibus, quæ catholicam fidem, et morum doctrinam attingunt liberam inquirendi, et cognoscendi facultatem reservatam omnino esse volumus, et declaramus.

Præcipitur ut leges fiant pro recto, et felici gubernio ipsius collegii, reservata ipsarum legum approbatione, apostolica auctoritate clarificanda

§. 8. Decernentes ipsas præsentis literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum pro plena executione nec literarum.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et ejusdem Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam dero-

Derogatio contrarium.

gatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et inuovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi tamquam plene et sufficienter expressos habentes, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum in arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octobris MDCCLXIX. pontificatus Nostri anno primo.

Datum die 9
Novemb. 1769
Anno I.

XXXV.

Unio ecclesie sancti Michaelis de Plano existentis in regno Sardinie, hospitali pauperum civitatis Turritane.

Clementis PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

De charitatis, misericordiam, et pietatis officii habendis erga pauperes disserit Pontifex, præsertim favore eorum, qui in hospitalibus detinentur.

§. 1. Salutis nostræ amator, et auctor Dominus Noster Jesus Christus ex omnibus christianæ charitatis, misericordie, et pietatis officii, pauperes suos verbis, et operibus confovendos evangelico præconio commendavit. Proinde Nos illius vices quamquam immeriti gerentes in terris pro injuncto Nobis apostolicæ sollicitudinis officio ad ea, per quæ hospitalium, ac in eis degentium pauperum, et miserabilium personarum congruæ sustentationi consulitur, et necessitatibus providetur, propensis studiis intendimus, et desuper officii Nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Philippus Hispaniarum rex dum et Sardinie regno præerat a. m. Xisto V. obtinuit unionem ecclesie s. Michaelis de Plano mensæ episcopali Ampuriens. eaque unione dissoluta, ecclesia hujusmodi cum suis adnexis incorporata fuit officio inquisitionis

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Emmanuelis Sardinie regis illustris nuper Nobis expositum fuit, quod dudum felicitis recordationis Sixtus pp. V. prædecessor Noster supplicationibus claræ memoriæ Philippi Hispaniarum regis catholici, et qui rex quoque Sardinie tunc existebat, tam suo, quam officialium, ac ministrorum officii inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto regno Sardinie instituti nomine humiliter porrectis inclinatus ecclesiam

abbatiam nuncupatam sancti Michaelis de Plano Ampuriensis, sive alterius civitatis, vel diocesis, quæ ruralis erat sine cura, et personalem residentiam minime requirens, et alias a recolendæ memoriæ Julio papa II. prædecessore quoque Nostro per suas sub plumbo anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio, sexto idus decembris, expeditas literas mensæ episcopali Ampuriensi auctoritate apostolica unita, adnexa, et incorporata fuerat, unione, adnexionem, et incorporationem hujusmodi dissoluta, una cum ejusdem ecclesie sancti Michaelis adnexis, et omnibus illius juribus, ac pertinentiis præfato officio inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto regno Sardinie instituto pro illius officialium, et ministrorum sustentatione, auctoritate prædicta univit, et incorporavit, eisdemque officialibus, et ministris, ut ipsi nomine dicti officii ecclesie præfatæ sancti Michaelis, ejusque adnexorum jurium, et pertinentiarum possessionem per se, vel alios apprehendere possent ac valerent, eidemque ecclesie per quemcumque presbyterum, seu clericum idoneum ad liberum officialium prædictorum nutum ponendum, et amovendum, et ab Ordinario approbandum in divinis deservire, et fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque ejusdem ecclesie sancti Michaelis, et adnexorum percipere, exigere, et levare, ac in suos, et dicti officii, et officialium usus, et utilitatem convertere, diocesanii loci, vel cujuscumque alterius licentia minime requisita, libere, ac licite pariter possent, et valerent pari auctoritate concessit, et indulgit, ac alias prout in ejusdem Sixti prædecessoris itidem sub plumbo anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, decimo kalendas julii, expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

hæreticæ pravitatis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictam officium inquisitionis hæreticæ pravitatis in eodem regno Sardinie institutum, et quod tunc ab altero officio hujusmodi in Hispaniarum regnis existente dependens reperiebatur, mutato rerum statu, cessaverit, ita ut usus quoque, in quem fructus, redditus, et proventus memoratæ ecclesie sancti Michaelis, ut præfertur, erogandi erant, omnino defecerent.

Post suppressionem officii inquisitionis vacui fructus, et redditus permanserunt, qui utiliter erogari potuissent in subsidium hospitalis pauperum civitatis Turritane.

rit. Hospitale vero pauperum civitatis Turritanæ piis ejusdem civitatis largitionibus erectum, ac deinde curæ fratrum ordinis sancti Joannis Dei commissum, adeo inopia laboret, ut si dissoluta unione memoratæ ecclesiæ sancti Michaelis dicto officio, ut præferatur, facta, eadem ecclesia sancti Michaelis cum suis adnexis, ac fructibus, redditibus, et emolumentis dicto hospitali civitatis Turritanæ pro pauperum sustentatione perpetuo uniretur, adnecteretur, et incorporaretur, ex hoc profecto ipsorum pauperum subventioni ad Dei laudem opportune consulere.

§. 4. Nobis propterea idem Karolus Emmanuel rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui necessitatibus pauperum potissimum propter infirmitates in hospitalibus degentium occurrere, eosque opportunis auxiliis subvenire paternæ charitatis studio quam maxime exoptamus, piisque ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac verum valorem annuum fructuum, reddituum, et proventuum ejusdem ecclesiæ sancti Michaelis præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petrensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, unionem, adnexionem, et incorporationem memoratæ ecclesiæ abbatæ nuncupatæ sancti Michaelis de Plano officio inquisitionis adversus hæreticam pravitatem in dicto regno Sardinie jam existenti, ab eodem Sixto prædecessore, ut præfertur, factam, auctoritate apostolica, tenore præsentium dissolvimus, et pro dissoluta haberi volumus, et mandamus, ecclesiamque prædictam sancti Michaelis ab officio inquisitionis hujusmodi sejungimus, separamus, ac dismembramus; unioneque prædicta sic, ut præfertur, dissoluta, eandem ecclesiam sancti Michaelis ita sejunctam, separatam, ac dismembratam, et attenda dissolutione unionis hujusmodi, quocumque, quem præsentibus pro expresso haberi volumus, modo vacantem, etiamsi commissio, quæ semper in unionibus facienda est ad partes, vocatis interessatis, peracta minime sit, una cum omnibus ejusdem ecclesiæ sancti Michaelis fructibus, redditibus, et

emolumentis universis hospitali pauperum civitatis Turritanæ, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo unimus, adnectimus, et incorporamus.

§. 5. Quapropter ejusdem hospitalis officialibus, et ministris, seu aliis ab eodem Karolo Emmanuele rege deputandis, ut dicti hospitalis nomine propria auctoritate corporalem, realem, et actualem possessionem ecclesiæ sancti Michaelis, et adnexorum, juriumque, et pertinentiarum prædictarum apprehendere, et perpetuo retinere, ac eidem ecclesiæ sancti Michaelis per quemcumque presbyterum seu clericum idoneum ad eorum nutum ponendum, et amovendum, ac ab Ordinario approbandum in divinis deservire, fructus quoque, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque præfatæ ecclesiæ sancti Michaelis, et adnexorum eorundem percipere, exigere, et levare, ac in ejusdem hospitalis usum, et utilitatem convertere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

§. 6. Volumus autem quod omnia ejusdem ecclesiæ abbatæ nuncupatæ sancti Michaelis onera ab hospitali Turritano prædicto integrè impleantur. Decernentes easdem præsentibus literas, etiamsi, ex eo, quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ, propter quas præsentibus emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ nullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali notari, et impugnari, invalidari, retractari, injus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, subla-

Indulgetur eidem regi facultas nominandi officiales, qui propria auctoritate possessionem ecclesiæ recipiant.

Cum onere tamen implendi ea omnia, quæ a primis possessoribus præstabantur.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

Preces porrectæ a Karolo Emmanuelli rege Sardinie pro concessione unionis hujusce, quæ libenter indulgetur.

ta eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Depotantur executores pontificiae gratiae, ut unia suum sortiatur immediatum effectum.

§. 8. Quocirca dilecto filio curiae causarum cameræ apostolicæ generali auditori, nec non venerabilibus fratribus Julio Cæsari archiepiscopo Turritano, et Josepho Mariæ episcopo Algaro per præsentem committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentem literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, solemniter publicantes, dictoque hospitali in eisdem præmissis defensionis presidio assistentes faciant auctoritate Nostra hospitale præfatum præsentium literarum, et in eis contentorum hujusmodi modo, et effectu pacifice frui, et gaudere; non permittentes illud desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna jura, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendo servatis processibus, censuras, et pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, etiam si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogatur omnibus in contrarium faciendis.

§. 9. Non obstantibus præmissis, et quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in unionibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure præmissis fieri prohibentis, ac memoratis Julii, et Sixti prædecessorum super antecedentibus unionibus dictæ ecclesiæ sancti Michaelis, nec non felicitatis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris quoque Nostris super divisione materialium, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel particularibus constitutionibus, et ordinationibus; necnon dictæ ecclesiæ, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque effica-

cioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, nihil penitus omissis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ad de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona novembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostris anno primo.

XXXVI.

Dat. die 15
Nov. 1769.
Anno I.

Dismembratio duarum parochialium ecclesiarum Gibinii, et Coronæ a diocesi Strigoniensi, earumque restitutio, et unio diocesi Transilvaniæ.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **A**grum universalis Ecclesiæ cœlestis patrisfamilias præordinatione curæ Nostræ demandatum, indefesso studio, atque industria quantum Nobis ex alto conceditur, excolere jugiter satagentes in omnes ejusdem agri Dominici partes mentis Nostræ oculos circumferimus, et ad ea, per quæ christifidelium necessitati, ac spirituali ipsorum commoditati consulitur, pastoralis sollicitudinis vigilantia præcipue intendimus, prout pia etiam regiarum personarum magno in Ecclesia Dei meritorum fultore præstantium vota exposcunt, et Nos in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 2. Cum itaque sicut nuper accepimus, duæ parochiales ecclesiæ decanatus nuncupatæ Gibinii nempe, et Coronæ, quæ diocesis Transilvaniæ uniatæ dudum, et annexæ reperiebantur, propter regni Hungariæ vicissitudines a diocesi prædicta olim avulsæ, et separatæ, ac alteri diocesi Strigoniensi uni-

Unio ecclesiarum Gibinii, et Coronæ diocesi Transilvaniæ disrupta fuerat propter regni Hungariæ vicissitudines, unde incommoda plurima suborta sunt.

tæ, et incorporatæ fuerint, propter vero ecclesiarum parochialium hujusmodi distantiam a loco, in quo pro tempore existens archiepiscopus Strigoniensis commorari solet, ipse pastoralis sæ curæ, et vigilantæ partes in parochiales ecclesias prædictas, earumque parochianos, ea, qua par est, diligentia, ac studio impendere nequeat, non sine gravi eorundem parochianorum incommodo, et præjudicio, atque insuper venerabilis frater episcopus Transilvanus, qui in eodem oppido civitate nuncupato Cibinii, ut asseritur, residere debet, ibidem licet extra suæ diocesis, et jurisdictionis limites episcopales functiones peragit, quod sane admirationem ingerit in populo.

Ad quæ remota, iterum unio ecclesiarum hujusmodi conferre posse dignoscitur.

§. 3. Hæc tamen mala omnia penitus averterentur, et omnino deficerent, quoties dictæ parochiales ecclesiæ, earum unione memoratæ diocesi Strigoniensi per Nos dissoluta, antiquæ illarum diocesi Transilvanensi prædictæ restituantur, et cum ea uniantur, ac incorporantur, idque pia quoque carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ apostolicæ, et Bohemiæ reginæ illustris vota exposcant, ac venerabilis frater Joannes Antonius episcopus Transilvanus summo opere desideret.

Et propterea unio noviter decernitur.

§. 4. Nos igitur paterna, qua omnes christifideles charitate complectimur, malis, incommodisque hujusmodi occurrere cupientes, ac piis ejusdem Mariæ Theresiæ reginæ votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et supplicationibus ejusdem Joannis Antonii episcopi super hoc humiliter porrectis inclinati, unionem, adnexionem, et incorporationem duarum parochialium ecclesiarum decanatum nuncupatarum Cibinii, et Coronæ hujusmodi diocesi Strigoniensi, ut præfertur, factam, apostolica auctoritate, tenore præsentium dissolvimus, et pro dissoluta haberi volumus, et mandamus, ecclesiasque parochiales, seu decanatus hujusmodi a diocesi Strigoniensi prædicta sejungimus, separamus, ac dismembramus; unioneque prædicta, sic, ut præfertur, dissoluta, easdem parochiales decanatus nuncupatas Cibinii, et Coronæ una cum omnibus earum parochianis præfatæ diocesi Transilvanæ auctoritate, et tenore prædictis restituimus, ac cum ea perpetuo unimus, adnectimus, et incorporamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 5. Decernentes ipsas præsentis litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac

illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta novembris MDCCLXIX. pontificatus Nostris anno primo.

Derogatio contrariorum.

Die 15.
Nov. 1769.
Anno 1.

XXXVII.

Confirmatio regularum congregationis clericorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi discalceatorum, cum facultatibus præposito generali pro tempore existenti, dispensandi super earum observantia cum singulis personis, ac de earum rigore remittendi quoad integras domos, et provincias accedente consensu majoris partis consultorum, et provincialium.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. **S**alvatoris Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris ad ea pastoralis sollicitudinis Nostræ partes libenter intendimus, per quæ tanti, et tam salubris mysterii memoria assidue recolatur, piæque propterea christifidelium congregationes in id præsertim provide, sancteque institutas specialibus apostolicæ benignitatis, providentiæque favoribus et gratiis prosequimur, earumque felici gubernio, et salubri directioni ita prospicimus, ut majora ipsæ in dies suscipere valeant incrementa.

Expositio præcum correctarum a præposito generali congregationis pro confirmatione statutorum jam approbatorum a Bened. XIV.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Cruce præpositus congregationis clericorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi discalceatorum nuncupatorum, quod alias fel. rec. Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xviii. aprilis MDCCXLVI. expeditas literas statuta, et regulas pro ejusdem congregationis regimine, et gubernio condita, ac prius a nonnullis S. R. E. cardinalibus perpensa, atque examinata apostolica auctoritate confirmavit, et approbavit, simulque indulgit, ut capitulum generale ejusdem congregationis regulas, et statuta hujusmodi declarare, eisque id superaddere posset, quod magis utile, ac necessarium videretur, et alias prout in eisdem literis, quorum tenorem pro expresso, et inserto heberi volumus, dicitur contineri. Deinde vero post longævam plurimum annorum experientia, serio omnibus consideratis, eisdem statutis, regulisque nonnulla, quæ necessaria erant superaddita, ac in eis inserta, alia insuper, quæ aliquantulum obscura videbantur, declarata, et explicata fue-

runt in hunc qui sequitur modum, videlicet.

REGULÆ, ET CONSTITUTIONES
observandæ ab alumnis congregationis clericorum excalceatorum sub Crucis et Passionis D. N. Jesu Christi vexillo militantium.

Tenor regularum, et constitutionum.

CAPUT I.

§. 3. Hæc congregatio eundem finem habet, ac omnis christianus, et ille potior esse debet cujusque clerici implendo exacte præcepta divinæ legis, tum evangelica consilia, quæ modo singulorum vires, et humana fragilitas sinunt, et exigit proprius status. Proinde hujus pauperis, ac minimæ congregationis asseclæ debent potissimum sibi consulere, atque ad id contendere, quo modo his constitutionibus præscribitur. Deinde naviter obire officia charitatis erga proximos, ea prudenter sedulo præstantes, quæ pro loco, et tempore fieri oportebit ad majorem Dei gloriam, ac proprii profectus spiritualis incrementum: quæ duo nunquam a mente, et corde debent excidere. Quemadmodum vero una ex præcipuis nostræ congregationis partibus est non solum assidue orare pro nobis ipsis, ut Deo per charitatem uniamur, verum etiam proximos nostros eidem ducere, illos docentes opportuniori, ac faciliiori modo, quo fieri poterit: propterea sodales, qui ad tantum opus apti censebuntur, tam in missionibus apostolicis, quam in aliis piis exercitationibus curabunt viva voce populos instruere ad religiosam meditationem mysteriorum, cruciatuum, et mortis Domini Nostri Jesu Christi, a quo, velut a fonte, omne bonum nostrum procedit. Hoc fieri poterit post habitam concionem in missionibus, vel alio opportuniore loco, et tempore, præcipue in sedibus confessionalibus, in literariis, piisve coetibus, aliisque occasionibus, quæ sese offerent. Ea siquidem proficua, et salutaris cogitatio efficacissima est ad abstrahendos humanos animos ab impietate, ducendosque ad christianam perfectionem, quo tendimus.

Finis congregationis quis sit exponitur.

CAPUT II.

De his quibus subesse debent domus nostræ congregationis.

§. 4. Domus nostræ suberunt episcopis, in quorum dioecesibus fundatæ

Domus religiosæ in quibus duodecim sunt

recipiuntur
subsunt Ordinario, et præsibus congregationis; quæ vero minorem numerum religiosorum habent unis episcopis obtemperant ad trinitates apostolicarum constitutionum.

sunt; itemque præsibus congregationis hoc modo: domicilia in quibus duodecim socii religiosi manebunt, plenamque illorum familiam constituent, subjecta erunt episcopo, vel Ordinario in iis dumtaxat, quæ ad culturam animarum episcopo commissarum pertinebunt; in reliquis censebuntur exempta, suberuntque superioribus domesticis suis, itemque majoribus præsibus congregationis, nimirum provinciali, ac præsposito, qui jurisdictionem habebit in universas domos: ea vero loca, ubi duodecim socii non fuerint, nec plena familia, episcopali juri suberunt ad apostolicarum constitutionum præscriptionem. Curent propterea socii pie ac reverenter obtemperare episcopis, locorumque Ordinariis, quoties vocati fuerint ad impendendam operam suam in spiritualem profectum creditarum sibi animarum obeundo diligenter, ac sancte ex instituti præscepto apostolicas missiones, vel instruenda clerum, virgines Deo sacras, et populum exercitationibus spiritualibus. Harum causa sæculares homines, supra duorum numerum non admittantur, sed id pro omnibus illis fiat in præcipuis domiciliis, quæ prope religiosi secessus communes domus constituentur.

CAPUT III.

De locis ubi fundatæ sunt domus religiosi secessus.

Plures domus in eadem diœcesi fundari possunt, ast in locis remotis, et justo spatio distantes.

§. 5. Religiosi secessus domus fundabuntur in locis remotis aptiori, ac meliori modo, quo fieri poterit, eruntque omnes pauperes ex præscepto constitutionum. Una aut plures in eadem diœcesi fundari poterunt justo distantes spatio pro arbitrio, atque prudentia Ordinarii loci, et superioris congregationis, qui debita cum reverentia, ac demissione obsequi illi curabit, accedente eorum consensu, quorum quovis nomine interest, atque servato in omnibus præscepto constitutionum summorum Pontificum.

CAPUT IV.

De forma, atque conditione ecclesiæ, ac domus secessus.

Ecclesia esse debet mediocris amplitudinis: et domus in omnibus eorum membris referent pauperes.

§. 6. Ecclesia erit mediocris amplitudine, neque pluribus quam tribus capellis instructa. Si plures sodalium numerus, ac liberalis benefactorum pietas exiget, multiplicari opportune poterunt.

terunt. Omnia in eis sint munda, decenter disposita, et sacri loci decori congruentia. Cellæ dormitorii tum longitudinis, tum latitudinis, duodecim palmorum mensuram non excedant. Dormitorium vero intra octo palmorum latitudinem concludatur. Officinæ pro numero fratrum. Item triclinium. Totum vero ædificium cum membris paupertatem referent, et religiosam decentiam. Domicilia in locis remotis construuntur, ut pii sodales post apostolicos labores pro divina gloria, et animarum salute obitos, procul ab hominum frequentia, et sæculari strepitu secedant soli intenti bono spiritus, orationibus, jejuniis, et aliis piis exercitationibus, quibus magis, magisque divino amore inflammentur, auctique christianis virtutibus paratiores, atque expeditiores inde fiant ad uberes divini verbi per ipsos spargendi fructus colligendos, pro viribus pietatis cultum gratamque memoriam, et venerationem erga Christi Domini passionem, et mortem ubique promoventes.

pertatem simul et decentiam.

CAPUT V.

Quomodo se gerent fratres extra propria domicilia.

§. 7. Hunc ordinem ingrediendo fratres servabunt. Si duodecim erunt fratres apti ad auxiliandum proximis, sex domo poterunt discedere, binique, aut plures, si res exiget, ad opus ibunt. Ita laborabunt in vinea Domini, peragentque missiones, exercitationes spirituales, catechismum, et id genus alia. Residui consueto more domi psallent: literarum sacrarum studio, orationibus, jejuniis, et piis operibus intenti, quomodo in his constitutionibus indicabitur. Labore perfuncti domum redibunt: operique continuando, iterando, vel alibi faciendo succedent alii. Primi consuetam vivendi, et operandi rationem repetent, atque ita exequentur quoties ab episcopis vocabuntur. Si autem Deus optimus maximus fratribus ea doctrina præditis congregationem auxerit, qui idonei putabuntur revincendis hæreticis, et evocandis ad christianam fidem incredulis, ubi primum ad illorum salutem procurandam a summo Pontifice, vel a sacra congregatione de fide propaganda evocati fuerint, quocumque oportebit accedent.

In domicilio, et extra ita se gerent fratres, ut chori servitium cum animarum cura concilient, et recta domorum administratione.

CAPUT VI.

De servandis antequam fratres congregationi adscribantur.

Nemo congregationi nomen adscribat, qui a Deo vocatus non fuerit, cuius antea imploret auxilium.

§. 8. Antequam congregationi quisquam adscribatur, primum expendat, an a Deo ad hoc genus vitæ vocetur, idque mature faciat orationibus, jejuniis, et sacramentorum frequentia. Abstractus negotiis sæculi, consilium sui confessarii, aut spiritualis vitæ magistri, et aliorum etiam, quos ipse opportunos tantæ rei iudicabit, exposcat, inquirat, et inspiciat, an revera paratus sit pro Dei gloria, suaque, et aliorum salute multa pati, irrideri, contemni, ærumnasque, et vexationes libenter ferre. De his omnibus potissime a provinciæ, et supremo congregationis præside interrogabitur. Quod si ipsi hoc agere nequiverint, alium prudenter designabunt, qui suas partes expleat. His peractis, res domesticas componat, debita persolvat, alia omnia explenda impleat, ne ullo retardetur obice.

CAPUT VII.

De vestitu fratrum.

Vestes habebunt ad instar clericorum regularium, quæ opportune describuntur.

§. 9. Vestitus fratrum una erit tunica nigra rudi panno ex vulgari lana confecta; unum item ejusdem coloris, et materiæ pallium, quod genu circiter attinget. Utraque autem vestis collare, ut vocant, habebit instar clericorum regularium. Sinistræ tunicæ parti, itemque pallio assutum erit sanctissimum nomen Jesu Christi cum titulo salutiferæ passionis ejus expressum in parva figura cordis, literis albis, cui superne accedet parva crux item alba. Hoc salutis signum fratres non gerent, nisi post expletum probationis annum. Laici vero ad discrimen clericorum, et sacerdotum hoc signum salutis ferent in tunica tantum, et non in pallio. In domibus, et itineribus calceis fratres non utantur, sed sandalis: paupere pileo caput tegant, quo imbres arceant, aeris inclementiam, et solis radios. Domi byreto uti liceat modesto tamen, religioso, et paupere. In ecclesia detecto maneant capite: byretum nihilominus iis permittitur, qui calvi fuerint, et infirmi. Sub tunica nullum lineum gerant indumentum, præter fœmoralia ex rudi tela, ac laneum humerale ad sudorem temperandum, et abstergendum.

CAPUT VIII.

De his, quæ fieri debent antequam novitii recipiantur.

§. 10. In congregationem recipiendi exhibere debent authentica documenta non solum de suscepto sacro baptisate, verum etiam de vita recte instituta, bonis moribus, et de congruenti literarum studio, si fuerit clericus: docere quoque debent de statu libero, bona fama, nec esse de crimine aliquo in judicio postulatos; sine quibus testimoniis, in archivio domus probationis servandis, nemo etiamsi alias fuerit cognitus, admittetur. In eodem archivio collocabuntur et aliæ domus scripturæ, extabuntque duo libri præcipui, in quorum altero recensebuntur nomina, et cognomina, et patriæ eorum, qui ordini nostro adscribentur cum die vestitionis. In altero vero adnotabitur dies professionis eorundem novitiorum ad normam apostolicarum constitutionum. Nemo cætui adscribetur, qui viginti-quinque annorum ætatem excesserit, neque qui habitum alterius instituti aliquando suscepit, dummodo talis non fuerit, qui spectatæ virtutis causa ea lege solvi mereatur: id tamen non fiat sine peculiari adprobatione capituli domus probationis, et supremi præsidis a quo quicumque recipiendi sunt scripto expressa testificatione adprobari debent. Extra hujusmodi causam, adolescentes fere in sodalium admittentur: hi enim facilius diriguntur, assuescunt instituti moribus, formanturque ex præscripto constitutionum nostrarum, et regulæ: secundo impertitus suffragio, antequam religioso induatur habitus, aliquandiu superiorum, et seniorum domus probationis prudentia, et arbitrio inter nostros, suis amictus vestibus commorabitur. Interea vero illa peragat, quæ alii facere consueverint. Probetur etiam eo tempore exercitatione actorum humilium. Pelves lavet, coquinæ inseruiat, domum verrat; christianæ demissionis, et patientiæ argumenta præbeat. Ob id reprehendetur publice præsertim in triclinio, humi aliquando manducabit, aliaque jussu præsidum exequetur humilitatis, et afflictionis opera, ex quibus facile dignoscatur, an revera amet sui contemptum, an sibi, ac mundo mortuus sit, ut soli Deo, in Deo, ac per Deum vivat, vitam suam libenter abscondens in Christo, qui propter nos opprobrium hominum fieri voluit, et abjectio plebis, absolutissimum virtu-

Nemo recipi in congregationem potest nisi exhibitis documentis de vita recte instituta, bonis moribus, et congruenti literarum studio; et doceant de statu libero, et bona fama, et quod alteri religioni nomen non desiderint.

tum omnium præbens exemplum. Nulla personæ cujusque conditionis habeatur ratio. Qui nobili ortus est genere accuratiori, et diuturniori experimento probetur. Probationi tamen benigna charitas, et æqua prudentia nunquam desit. His felicitate expletis, capitulum cogetur, in quo quisque suum libere suffragium edet, indicabitque, an qui adscisci in congregationem postulat, admittendus, vel excludendus sit. Adprobatus, et receptus per dies decem exercitationibus sacris, et piis meditationibus operam dabit, quibus magis, magisque instructus, ac Deo conjunctus, peragendo sui sacrificio fiat aptior.

CAPUT IX.

De ritu vestiendi fratres congregationis.

Exponitur ritus ecclesiasticus servandus in vestitione fratrum congregationis.

§. 11. Universo religiosorum cætu in ecclesia coacto, procedat qui religioso habitu vestiendus est, suo indutus cum fœmoralibus, et laneo sudario sine indusio modeste compositus. Loci præses sermonem habebit, quo illum ad alacriter quæque pro Christo perferenda adhortabitur, aperiens quam ingens sit ille honorum omnium perpetuorum thesaurus, quem veris sectatoribus suis Christus impertitur. Ritu consueto Sanctæ Matris Ecclesiæ super tunicam bene precatus novitium præsentem suis vestibus exuet, induetque religiosus: subinde ejus humeris crucem, capiti spineam coronam imponet, pro actionum discrimine pronuncians = accipe frater carissime crucem Domini Nostri Jesu Christi, abnega temetipsum, ut habeas partem cum illo in vitam æternam = amen =. Accipe frater carissime spineam coronam Christi Domini, humilia temetipsum sub potenti manu Dei, et esto subjectus omni creaturæ propter Deum =. Expleta functione præses, et fratres ad pacis osculum novitium excipient, hilarique vultu ad constanter, lætoque animo Christi crucem ferendam inflammabunt.

CAPUT X.

De electione, et munere magistri novitiorum.

Magister novitiorum eligendus erit a præside congregationis, consultoribus, et senioribus, et inter eos qui magis idoneus re-

§. 12. Novitiorum magister a primo præside congregationis una cum senioribus, consultoribusque eligatur, qui decem saltem annos ab emissa professione cum laude in congregatione vixerit, et in quinto saltem supra trigesim-

num ætatis suæ anno sit constitutus. Scientia rerum spiritualium, prudentia, et charitate præstet, ut par tanto muneri habeatur. Novitios nostris moribus, et institutis informet, orare doceat, fallacesque dæmonum artes, et pericula aperiat, ut tuto, atque expedite Deo famuleantur: modeste, caute, pie, sapienter se gerat, charitatem in omnibus præseferat, potissime vero ubi de illorum correctione, et animadversione agitur. Errantes mansuete, prudenterque moneat, ac suaviter pro culpæ modo puniat: hoc enim temperamento errantes ad emendationem facile trahet, defectibusque pœna non deerit. Sui demum venerationem, ac judicii æquitatem servabit. Exactam instituti notitiam iis, quos erudiendos susceperit, diligenter tradat, spiritum congregationis patefaciat, finem inculcet, ut eadem novitii incedentes via, illa et ipsi sancte præstent, quæ alii, qui professionem emisserunt, exequuntur. Orationis frequentiam, religiosarum virtutum exercitationem assiduam, suique contemptum potissime suadeat. Curet, ut proprios quisque defectus, et culpas publice in triclinio enunciet. Opportune illos corrigat, reprehendat, deprimat, humilitati assuescere moneat, humilibus, ac vilibus ministeriis sæpenumero addicat, ut sui victores, pravis cupiditatibus, et desideriis obsistant. Omnia vero prudenter, suaviterque magister jubeat, nec tam verbo, quam exemplo discipulos erudiat, ducat, et informet: externam quoque modestiam privatim ac publice illos servare oculos, linguam, aliosque sensus frænare doceat, quo facilius internam animi tranquillitatem obtineant, exutique affectibus pravis mentem liberam ad sublimia, et divina erigant, Jesu Christi virtutes exprimant, et suo vivant spiritu. Extra tempus præscriptum novitii non colloquantur. Eos cum aliis colloquia habere non sinat magister, multo minus cum hominibus sæcularibus etiam consanguineis. Hoc autem justa poscente causa, ipse, vel coadjutor præsens intersit, ut modeste, cauteque se gerant, ne diutius quam par fuerit distrahantur. Peracto paucis officio, statim recedant, colligantque in Deum spiritum. Curet magister, ut novitiorum opera recto, sanctoque fiant spiritu: pio cordis fervori nunquam desit integra mentis intentio: ita vero omnia præstent, ut Deum præsentem habere meminerint, eique dumtaxat sincero animo placere studeant. Omnem autem curam magister adhibeat, ut illi

putetur, quique decem ab ætate vixerit in congregatione post suam professionem; et quæ peragere, debeat enumerantur.

dirigantur secundum spiritum vocationis, quum exploratum sit ex recta educatione novitiorum pendere bonum totius congregationis. Proinde quo facilius id obtineat suis diffusis viribus, spem totam in Deo constituat, ab ipso lumen opportunum suis precibus poscat, quæque in aliis optat virtutum exempla, suis ipse moribus exprimat. A novitiis, sine necessitate, literas scribi non permittat; caveatque ne quid alienum, aut noxium pio instituto fiat. Post communes exercitationes professorum, director, sive coadjutor quotidie ante horam sextam examen purgativum, et instructivum instituet, prout utilius censebit spirituali novitiorum profectui. Sacerdotes et clerici professi, qui literis dant operam, intersint tantum examini communi, quod pro instituti more habebitur omnibus diebus festis, et feriis quibus a superiore vel direttore, seu alio quem rector designaverit. Huic omnes prorsus intersint, exceptis ægrotantibus et confessariis, qui confluentis populi confessiones peccatorum eo tempore coguntur excipere. Aliis diebus quisque examen peculiare in cubiculo peragat ante lectionem spiritualement. Quotidie post communem lectionem director, vel coadjutor processionem religiosam cum novitiis faciat intra septa domicilii, recitentque alternatim sanctum rosarium. Statuto item tempore divinissimum Eucharistiæ sacramentum invisant, præscriptasque preces ante ipsum recitent. Posthac animi relaxandi causa cum direttore egrediantur in apertum aerem. Quod si temporis, aut loci conditio id non permiserit, alio modo prudenti illius arbitrio honesto levamento consulatur, ita tamen ut semper de rebus utilibus agatur, et quæ a religione, et pietate, mentem non distrahant. Quoniam vero probationis anno novitii peculiari studio in spiritus perfectionem incumbunt, die quolibet post horam tertiam, vespere autem post recitatum rosarium fiat per dimidium saltem horæ explicatio alicujus libri sacri, præcipue novi testamenti, ex qua novitii ipsi piam aliquam meditationem, vel animadversionem eliciant: alio tempore, quod consuetis exercitationibus supererit, celix recessu gaudebunt ad rectoris, vel directoris arbitrium. Director præcipuam curam habebit solandi, et adjuvandi eos, qui mæstitia, tentationibus, aut scrupulis laborant, congruens illis levamentum tribuens. Charitate atque prudentia hac in parte potissime præstet, lætumque, atque serenum vul-

tum ostendat, ut interno vexati malo arcana cordis facilius detegant, pacati-que opportuno remedio, alacriores captum perfectionis iter prosequantur. Novitii prompte, ac libenter directori obediunt, nihil sine illius permissu, ac benedictione faciant, neque domo egrediantur; nihil illum celent: tributa sibi a Deo inter orandum lumina, et pia animi sensa candide enarrent: diaboli etiam tentationes aperiant; afflictionem, mœrorem, tædium rerum spiritualium, et ariditatem significant: defectus demum proprios fideliter, et exacte patefaciant ab omni excusatione, et sui amore abhorrentes. Caveant ne hac in parte quomodolibet suo debito desint, ne a christianæ virtutis hoste decepti amittant pacem, et tranquillitatem cordis, religiosæ vitæ tædeat, tandemque sua præ culpa susceptum institutum deserant: quod Deus permittere solet in penam superbiæ, et negligentix, quæ intimas occultantes plagas opportuno remedio, et auxilio destituti decidunt. Contra, fideles, et cautos Deus, qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam, nequaquam deseret, immo suis donis multipliciter augebit, pacem ipsi habebunt, virtutibus florebut maximis, ac tandem divina fultu ope veræ sanctitatis perfectionem assequuntur.

CAPUT XI.

De probatione novitiorum.

§. 13. Integro novitii præbentur anno; quo expleto profitebuntur coram loci præside vota simplicia obedientiæ voluntariæ, paupertatis, et castitatis: his addetur quartum; promovendi nimirum apud christifideles memoriam, et cultum vivificæ passionis, et mortis Domini Nostri Jesu Christi, eodemque tempore tribuetur illis signum venerabile, de quo capite septimo actum est. Si quis autem ex fratribus professis gravi laborans defectu inemendabilis deprehendatur, talisque habeatur, qui sibi, et aliis noxius, publicam pacem turbare possit, totique congregationi notam inferre, liberum sit præsidibus illum ejicere ad præscriptum constitutionum summorum Pontificum, ne ovis morbosa, et medelam respuens ceteras inficiat. Alii autem rite professi e congregatione quovis prætextu discedere ultro nequeant.

Novitii probari debent per integrum annum, et quatuor postea simplicia vota profiteri tenentur obedientiæ, castitatis, paupertatis, et promovendi cultum passionis D. N. J. C., et si defecerint ejici poterunt a præsidibus.

CAPUT XII.

*De admittendis ad professionem
votorum simplicium.*

Nemo admittitur ad professionem simplicium votorum nisi prius exacto examine, super ejus constanti voluntate, et si morbo gravi, et occulto laborant illud detegere debent et in sub poena nullitatis professionis.

§. 14. Antequam religiosam professionem novitius emittat, exacto expendatur examine, an constantem voluntatem habeat acquirendi pro viribus christianam perfectionem ad nostrarum constitutionum præscriptum, et normam. Parum autem referre debet, si quandoque aliquem defectum etiam gravem præsetulerit, dummodo emendationi ex animo studuerit, ac studeat: quod si scandalosum crimen admisit, correctusque paterne, ac pro modo culpæ plexus, pertinaciter inhæreat vitio, expellatur omnino: ejiciendi quoque sunt a cœtu, qui incurabili laborant morbo, cujus causa constitutiones servari nequeant: qui morbis levioribus sunt obnoxii a professione emittenda non excludentur: quemadmodum enim illi operam instituti non impediunt, ita patientes ad virtutis incrementum hæcere possunt, si quæ afferunt incommoda, et cruciatus, ad christianarum virtutum exercitationem referunt. Simplicia tamen vota professuri, quascumque corporis occultas affectiones pravas, et labe debent detegere: nulla proinde habebitur ejus professio, qui gravem aliquem morbum insanabilem celaverit; cum apertus congregationis animus, et constans propositum sit, novitios hujusmodi in suorum numerum minime adscribere, immo detecto morbo etiam post professionem editam expellere.

CAPUT XIII.

De ritu profitendi vota simplicia.

Professurus vota simplicia comprobati debet secretis suffragiis, et duas ex tribus suffragiorum partibus ad approbationem inducendam sufficiant.

§. 15. Professurus vota simplicia comprobati antea debet secretis liberisque suffragiis non solum superioris solitariae domus probationis, verum etiam totius capituli localis, constantis ex sacerdotibus, aliisque fratribus professis, in ordine sacro constitutis, exclusis semper laicis, item professis qui suffragandi jure carent. Duæ ex tribus suffragantium partibus canonicam approbationem efficient, riteque comprobatus religiosa vota profitebitur ante præsidem congregationis, sive præpositum domus, aut rectorem. Ab hoc pro instituti more præcipuo, profitentis humeris crux imponitur, spinea corona capiti, et signum venerabile nomen Jesu exhibens affigitur ante pectus. Dum

hæc aguntur, sacerdos passionem Domini ex sancti Joannis evangelio meditate recitabit: pronuntians autem verba = emisit spiritum = novitius ex formula profitebitur vota obedientiæ, paupertatis voluntariæ, et castitatis: pollicebitur etiam, se pro viribus apud christifideles promoturum memoriæ, et cultum passionis, et mortis Jesu Christi Domini Nostri, modo in constitutionibus expresso; ritumque claudet sacra processio per ecclesiam, cantantibus interea fratribus gravi, ac demissa voce psalmum = *Laudate Dominum de cælis* =. Post erectas vero, et constitutas provincias, professionem novitii emittant ante provincialem præsidem, aut rectorem domus, quemadmodum in hoc capite præscriptum est, accedente tamen permissu superioris generalis totius congregationis.

CAPUT XIV.

*De modo implendi vota, et primo
de obedientia.*

§. 16. Obedientia est velut lapis fundamentalis totius perfectionis; ac verus obediens Salomone teste Proverb. cap. 1. v. 28. = *loquetur victoriam* =. Curent itaque hujus minimæ congregationis fratres, ut illam non ore tantum, sed et factis sancte expriment. Sit ipsorum obedientia cæca; omnes de se demisse sentiant, despici ament, et studeant, ut facilius perfectionem religiosam assequantur. Jussi obediant prompte, simpliciter, libenter. Quovis modo ad ministeria, vel officia vocati advolent. Literas alicui non scribant superiore inscio, scriptæ ejusdem permissu ab ipso muniantur sigillo; acceptæ ad eum deferantur, liberumque sit illas legere, et quibus missæ sunt tradere. Literas pro animarum regimine scriptas ad eos, qui apostolicas missiones obeunt, non legat nisi necessitate, vel juxta, probataque de causa. Ad superiores autem, præsides, suosque consultores scriptas a fratribus literas, loci præses non solum non legat, quin immo in eorum præsentia eas sigillo munire teneatur, liberumque sit ad illos etiam clam scribere, ut suo, atque aliorum bono consulant. A prædictis vero superioribus epistolas ad fratres directas minime aperiat, sed quibus missæ sunt illico tradat. Si autem ausu temerario secus facere attentaverit, a proprio munere deponatur. Cibo, potuque in communi mensa accepto sint contenti; aliis ex-

Quomodo observari debeat votum obedientiæ explicatur.

tra illam sine præsidis permissu fratres prorsus abstineant. Quo liberius quisque cupiditatibus indulget, eo arctius, atque molestius torquetur: suo vivens arbitrio pacem non habebit. Loci rector suavi charitate fratres regere procuret, et tractet, nec difficilem se præbeat in rebus justis, et honestis. Obedientiæ votum, quod nostri emittunt, complectitur primo Pontificem maximum, deinde episcopos in quorum diocesisibus domum habemus in iis, quæ ad bonum creditarum sibi animarum pertinent: ita videlicet, ut quotiescumque episcopus, vel loci Ordinarius nostrorum opera indiguerit, generalis, vel provincialis præses operarios illos, quos magis idoneos judicaverit ad missiones, catecheses, et meditationes peragendas eis tradere teneatur. Demum congregationis præsidēs respective, nempe præpositum superiorem, provincialem, et rectorem domus.

CAPUT XV.

De paupertate.

Quomodo paupertas colenda sit exponitur circa personas sociorum.

§. 17. Paupertas est vexillum, sub quo universa militat congregatio: nusquam proinde licebit, bona stabilia possidere, neque certos, stabilesque redditus communes, aut particulares habere quovis titulo, vel colore sive ecclesiæ, sive sacrarii. Re nulla præcipue fratrum cubacula sint instructa, nec in illis fas sit aliquid retinere, præter librum, cujus lectione proficiat spiritus. Nusquam tamen, ne ipsis quidem præsidibus licebit habere in ipso cubiculo esculenta, et poculenta cujuscumque generis: sed pro his locus aptus deputetur clave obsignatus, cui præficiatur aliquis ex fratribus, qui curam habeat, accedente tamen rectoris licentia, fratrum necessitatibus subvenire. Si quis aliquo indigeat necessario, rectori significet, qui debita charitate curabit tribuere quod oportet. Stipem fratres ostiatim non quærant, nisi pressi necessitate; licebit tamen tempore opportuno, præcipue messis, vindemiæ, expressionis olei in propria diocesi, ac in aliis de consensu episcopi, vel Ordinarii quærere quæ necessaria censentur. Nummi qui pro ecclesia, missarum eleemosyna, vel alio quovis pio nomine tribuuntur, a rectore accipiantur, eosque ob domorum nostrarum solitudinem retinere possit in capsula duabus clavibus obsignata, quarum una ab ipsomet, altera ab ejus vicario, et in ejus absentia a fratre digno-

re custodiatur. Ipse vero vicarius, vel subrogatus semper intersit quotiescumque rector sive pecunias in capsula recondet, sive reconditas extrahet. Mox in præcipuo libro omnia recensebuntur, addita utriusque propria subscriptione. Quotidianæ vero, quæ præstandæ sunt expensæ a vicario administrabuntur, ac deinde singulis mensibus administrationis suæ rectori rationem reddet, pariterque, ut supra, in memorato libro hujusmodi rationis redditio exprimetur. Rector domus insuetas expensas non faciat, neque mutuum concedat, neque libros bibliothecæ commodet, nisi accedente consensu capituli localis. Si autem contingat, ut aliqua ex hujusmodi expensis admodum extraordinaria eidem capitulo videatur, superioris præsidis adprobatio requiratur. Ut autem omnes congregationis domus simul mutue charitatis vinculo unitæ perseverent, omnia cujuslibet domus bona sint ceteris omnibus communia; adeo ut sive generalis, sive provincialis, prout prudentia, et indigentia suggesserit, de rebus, sive pecuniis, quæ a congregationis domo quacumque possidentur, pro aliarum juvenamine disponere in Domino queat: dummodo res magni pretii haud fuerint, aut pecuniæ summa talis, quæ juxta pontificias constitutiones beneplacitum non exigit apostolicum. Quapropter singulis superioribus localibus prohibetur, ne quid alicujus momenti sine consensu, ac permissione præmemorati præsidis vendere quomodolibet præsumant. Si vero procuratis rebus omnibus domorum, vel ecclesiarum nostræ congregationis aliquid supererit, sine mora erogetur in pauperes. Idem statuitur de fructibus horti, vel viridarii, qui nunquam vendi poterunt, sed pauperibus et benefactoribus tribuantur. Nunquam bona mobilia, vel immobilia titulo hæreditatis vel alio quocumque acquirere liceat. Si vero aliquid titulo eleemosynæ, vel pro missis celebrandis sponte reliquatur, et offeratur ab executori testamentario, accipi poterit, dummodo tamen hujusmodi missarum exhibitio onus perpetuum celebrationis non inferat: hoc enim nunquam fas erit suscipere. Cuique sacerdoti liberum sit semel in hebdomada divinum sacrificium offerre pro seipsis, vel aliis; nullo tamen accepto stipendio. Religiosis iter longum suscepturis poterit superior domus certum pecuniæ subsidium tradere, ut instanti necessitati, vel indigentia, qua pauperes decet, modestia et parvitate prudenter

consulatur. Nemini liceat sine præsidis facultate peculiarem eleemosynam quovis pretextu sibi quærere. Sponte oblatum, et acceptum in commune fratrum subsidium erogent. Hoc instituti præscriptum universi exacte impleant, et pro opportunitate benefactoribus aperiant, ne quis deceptioni, aut errori locus pateat; sed omnia religiosæ paupertatis studio, et cultui sincere, et sancte respondeant. Si quis legem istam temere violaverit, deprehensus pro modo culpæ puniatur. Receptum pauperibus tribuatur: exploratum siquidem est, tandiu in congregatione religiosæ perfectionis regnaturum spiritum, quandiu voluntariæ paupertatis amor, et cultus vigeat integer: eodem autem extincto, insana cupiditas turbabit omnia, decidetque sanctioris disciplinæ vigor, et studium.

CAPUT XVI.

De paupertate servanda in ecclesiis, et domibus congregationis.

§. 18. In ecclesiis sumptu modesto fabricatis, religiosus vigeat decor, et exacta munditia. Nihil in his sumptuosum, nihil vanum, vel insuetum piorum animum distrahens habeatur. Suppellex sacra sit munda, honesta, rite disposita, ut quoad fieri inter nos poterit divinis congruat ministeriis, et sacrificio. Non vetatur tamen in iisdem aurum, et argentum, vel alia pretiosa ornamenta, quæ divino cultui majestatem, et decentiam majorem concilient. Domus cubicula sint parva, et modesta, paucis ornata imaginibus sacris, nullo opere vel materia spectandis, duabus aut tribus sedibus stramentitiis, et lignea mensula instructa. Lectus quinque palmos non excedat latitudine, longitudine justa: uno circiter palmo assurgat e pavimento; fulcra, tabulæque lignæ; culcitra cum cervicali oppleta paleis. Stragula temporis opportuna, semperque paupertati consona. Valetudinaria sint ampla, et pro ægrotantium numero spatiosa, prospectu læta, et in omnibus scite, commodeque disposita. Triclinium pauper nullo mensarum, vel sedilium ornatu, vel materia nobile. Mantilia, et mappæ linæ ex tela vulgari, sed apte facta, et munda. Vasa omnia cretea, et obolaria. Cochlearia, et furculæ e ligno, vel osso. In coquina omnia cum charitate, et munditia fiant, ne sensum offendant, vel stomachum. Præter cellam escariam, ubi

Bull. Rom. Tom. IV.

conditum erit, quicquid ad fratrum victum pertinet, alia sit peculiaris in qua universa fratrum indumenta, et domestica suppellex servabitur. In bibliotheca, præter libros, perstabunt etiam ad usum fratrum pennæ, charta, atramentarium, forfices, scalprum librarium (temperino) ostia, ut opportune illis utantur. Si rectori visum fuerit, permittere poterit, ut hæc ipsa fratres habeant in cubiculo. Idem statuitur de libris, qui utiles eis censebuntur, et quandoque etiam necessarii: virtutis tamen, et perfectionis meritum fratres augebunt, si quoties aliquo indigent, ipsum genuflexi eleemosynæ loco ab domus præside poposcerint, et impetraverint: in omnibus actionibus studentes unice, ut tamquam veri imitatores Jesu Christi, pauperes re, et animo se præbeant: cui obtinendo bono maxime proderit præ oculis habere semper exemplum vitæ Salvatoris nostri, qui pauper natus, egenus vivere, nudus in cruce mori pro nobis dignatus est.

CAPUT XVII.

De Castitate.

§. 19. Cum castitas angelorum virtus sit, viribus totis fratres enitentur, ut angelica præstent modestia. Quo facilius hoc assequantur, sint humiles, cupiditatibus obsistant, carnem maceant, orationi incumbant assidue, in omnibus caute procedant; nihil suis viribus tribuant, constantem in Deo fiduciam figant, æternamque salutem cum timore, et tremore operentur. Absque necessitate cum fœminis non loquantur: christiana charitate ducti, justaque de causa cum præsidis facultate id agant. Extra domum a socio eam potestatem postulent, tum paucis, modeste, oculis in terram fixis, et vultu gravi persolvant officium. Si forte in aliquo cubiculo cum mulieribus sit agendum, fiat aperto ostio, ita ut a socio aspici possit, et non audiri. Ad sacrarum virginum monasteria non accedant, nisi promovendi animarum boni causa rogati, et cum permissu episcopi, sive loci Ordinarii per scriptum accepto. In benefactorum, et exterorum morantes domibus ad gravitatem religiosam, et modestiam sint compositi. Ad silentium solvendum compulsi, vel rogati de rebus animarum saluti proficuis loquantur. Ab his, quæ quovis modo animum a divinis abstrahunt, prorsus abstinant; sensuum custodiæ dili-

Castitatis votum exigit, ut et cordis, et corporis continentia servetur et etiam a legitimis nuptiis perpetuo religiosi se abstinant.

Paupertas servanda in ecclesiis, et domibus ita est commendanda ut modestia, et divini cultus majestas insimul concilientur.

genter studeant, potissime oculos cohibeant. In mensa temperanter se gerant; meram aqua diluant, ac temperent: divina interdum meditentur; immaculatam virginem Deiparam pio, ardentique cultu prosequantur, excelsas virtutes ejus imitari curent, et opportunum inter tot pericula promereri patrocinium.

CAPUT XVIII.

De voto promovendi apud christifideles religiosum cultum, et gratam memoriam passionis D. N. Jesu Christi.

Cum finis congregationis sit pro palatio religiosi cultus passionis D. N. J. C. in omnibus prædicationibus publicis, et privatis, de eo argumento loqui religiosi congregationis oportet.

§. 20. Fratres prædicationi evangelii dantes operam in missionibus apostolicis obeundis unice curabunt, ut christianos populos ad vivificæ passionis et mortis Jesu Christi sacra mysteria meditanda, et identidem religiose recolenda inflamment. Hoc potissime vesperi post habitum consuetum sermonem peragant. Horæ dimidium pia meditatio non excedat, eique conceptis verbis præeant. Mane inter habendam lectionem catechisticam aliquid de eodem argumento ingerant. Regulas ad sancte, et fructuose tanta mysteria memoranda breviter, ac perspicue tradant, nec diligentiam prætermittant ut frequentissimam, atque perpetuam eam meditationem reddant. Hominibus rudibus, minusque cultis, qui ruri dant operam, nec apti sunt ad meditandum, brevia argumenta suggerant, quibus per pios, ac temporaneos affectus, sive per preces, ut vocant, jaculatorias idem præsentent. Ut monita optato effectu potiantur docendi methodo utantur facili, simplici, talique hominum generi congruenti. Ad aliquid quotidie pro Jesu Christo patiendum, illos hortentur, debitum aperiunt, fructum doceant, meriti, ac præmii magnitudinem explacent, difficultatem extenuent, et adimant. In sedibus confessionalibus pro loco, tempore, ac personarum discrimine idipsum curabunt. Sacerdotes, qui ad sacras habendas conciones non sunt delecti, hoc bonum promovere studeant alia via, quæ ipsis faciliorem occasionem præbebit, præsertim quando peccatorum confessiones excipiunt, catechismum habent, colloquia de rebus spiritualibus instituunt, et id genus alia, quæ ex munere, vel pro re nata obeunt. Qui ad hujusmodi munera non sunt destinati, itemque fratres laici, ut debito suo faciant satis, quotidie pie, ac re-

ligiose recitent quisquies Dominicam orationem, et salutationem angelicam in memoriam et honorem passionis Domini Nostri Jesu Christi, simul enixe Jesum Christum orent, ut opem illis ferat, qui hoc salutare institutum promovent. Res ipsæ alias frequentes vias aperiunt, quibus tantum opus provehant, piumque desiderium et conatum impleant magno cum suarum animarum, et aliorum profectu: ingeniosissimus siquidem Dei amor est, nec tam verbis amantium comprobatur, quam factis, et exemplis.

CAPUT XIX.

De servando in congregatione jejuniis.

§. 21. Nullum in congregatione jejunium præscribitur, quod violatores mortalis peccati reos constituat, præter illa communia imperata christifidelibus ab Ecclesia. Præter adventum Domini, et quadragesimam fratres nostri ter in hebdomada illud servabunt, nempe feria quarta, sexta, et sabbatho. Soluti tamen erunt regulari jejuniis, si in dies ipsos inciderit festum de præcepto, ac festa omnia beatæ virginis Mariæ, tum evangelistarum, tum conversionis sancti Pauli, utriusque cathedræ sancti Petri, exaltationis sanctæ crucis, ac patroni, vel titularis ecclesiæ domus solitariae, quamvis non sint de præcepto Ecclesiæ, ac sanctæ Mariæ Magdalensæ pœnitentis.

In congregatione servabuntur unice, jejunia ab ecclesia generali præscripta.

CAPUT XX.

De ratione implendi jejunii in congregatione.

§. 22. Fratres in domibus solitariis, in quibus prudenti superioris generalis judicio, pisces haberi commode nequeunt, carne non vescantur, excepta valetudinis causa, sed ovis dumtaxat, et lactariis. Diebus vero quibus jejunium servant, contenti erunt pulmento leguminum, esca confecta ex massa farinæ triticeæ, seu alia superioris arbitrio, et ferculo piscium, qui inveniri pro temporis, et loci conditione possunt: liberam tamen erit domus præsidi ferculum herbarum coctarum, itemque fructuum addere. Feria sexta, si dies festus non erit, ad mensam nullum piscium afferatur ferculum, neque fructuum, sed tantum pulmentum, præterquam infra octavas nativitatis Domi-

Aut ab usu carnis perpetuo se abstinere religiosi debent excepta valetudinis causa.

ni, Paschæ Resurrectionis, et Corporis Christi. A kalendis vero maji usque ad kalendas octobris, addatur ferculum herbarum. Qui pane dumtaxat, et aqua uti velit, permissum a superiore impetret. Curabit superior, ut cibi accurata charitate parentur; cujusque indigentiae prudenter satisfiat; quotiescumque autem commode poterit, libenter quod potest impertiatur. Si id non fiat, fratres non conquerantur, sed his maxime diebus virtuti stóndentes omnia in bonam partem accipiant, nec quavis moti causa illi detrahant. Qui secus fecerit, præter Dei offensam, debita etiam pœna plectetur. Panis, et vinum, pro cujusque indigentia tribuantur. Diebus jejunii pro vespertina refectioe unum tantum apponatur ferculum. Extra jejunium congruens, ac modesta cœna fiat, nempe unius ferculi, præter calidum pulmentum. Nulla occasione, vel causa potestas loquendi in triclinio fiat, etiam si exteri viri spectandi præsentés sint, et festum agatur; sed semper ad mensam adhibeatur lectio libri spiritualis. Fratres iter habentes, ad regulare jejunium non obligantur. A benefactoribus autem excepti, prænunciata evangelicâ benedictione = pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea = manducabunt quæcumque sibi apponentur: studebunt tamen vel extra domum religiosam modestiæ, ac temperantiæ, pro facultate silentium servent, et ad Deum mentem erigant: divinis enim gaudentes, facile carnales cibos fastidient, pioque exemplo erunt aliis. Si peculiaris non urgeat indigentia, ad meridiem oblatum cibum sumant. Vespere tamen non aliud quam consuetum accipiant jentaculum; ita enim aptiores orationi fient, neque alimento opportuno vel necessario lassum destituent corpus. Inter labores quoque apostolicæ missionis mane et vespere religiosa modestia, ac temperantia reficiantur, nihil sibi indulgentes præter indigentiam. Meminerint congregationis propositum esse, præter divinæ legis præcepta observare pro viribus evangelicâ consilia; quod ut facilius fratres assequantur, opus habent frequenti oratione, abstinentia, humilitate, afflictione corporis, et sui contemptu. Hæc extollendæ in Deum menti, eludendisquæ dæmonum artibus maxime conferent: quapropter tametsi jejunia nostra mortalis peccati reos nos minime efficiant si violentur, servanda sunt nihilominus ea cura, et diligentia, perinde ac si imperata essent Ecclesiæ præcepto. Hinc quamvis superior domus

ab implendo jejunio solvere aliquem possit justa de causa, numquam tamen poterit universam simul familiam a regulari jejunio eximere, nisi illæ urgeant causæ, quæ sufficientes habeantur, ut a jejunio ecclesiastico servando eximantur. Qui sanctorum Patrum, atque doctorum Ecclesiæ de jejunio scripta legent, facile intelligent, quantum illud animæ prosit, et corpori. Hoc argumentum luculenter tractant sancti Basilius magnus, Joannes Chrysostomus, et Leo primus Pontifex maximus. Nec hic aliud addendum putamus, ut operis salutaris virtutem multiplicem incalcemus, et ingens meritum.

CAPUT XXI.

De aliis exercitationibus spiritualibus congregationis.

§. 23. Per anni cursum surgant ad laudes Deo concinendas media labente nocte: ita tamen, ut quinque horarum spatio quieti corporum antea relinquatur. Recitabuntur in choro preces matutinæ gravi, pioque tono, intermedia ad versus singulos quiete decenti, ut per opportuna temporis intervalla pronunciata, meditari queant, fructusque hauriri uberes, et suaves, quos saluberrimum divinæ scripturæ pabulum affert non ore tantum psallentibus, sed mente simul, et corde. In argumentum demissionis, et reverentiæ erga Deum universum divinum officium stantes persolvant. Lectiones tamen dum leguntur, fratres sedeant. Ante initium cujuscumque horæ canonicæ, strati super solum cum timore, et reverentia pronunciantur = In nomine Jesu omnes genuflectantur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris = statis diebus post matutinum fiat voluntaria verberatio. Deinde æstatis tempore per horæ dimidium; si hyems autem erit, per horæ spatium, pia fiat meditatio. Postea ad se calefaciendum fratres accedant recitantes canticum = Benedicite omnia opera Domini Domino =. Ad focum silebunt. Tum cellam petent, in qua morabuntur usque ad horam primam. Si quis ductus fervore spiritus orationem continuare cuperet a superiore permissum roget, qui petentis conditione, et virtute perspecta, postulatum non negabit. A choro noctis, postquam tribus horis fratres conquieverint, surgent, et horam primam recitabunt.

Quæ sint exercitationes spirituales in congregatione et in integro anni curriculo enumerantur.

Deinde si hyems erit, per semihoram in piam meditationem incumbent: si autem ætas per horam integram. Muneribus in congregatione aucti, postquam per dimidiam horam meditationi vacaverint, celebrare poterunt divinum sacrificium. Tempore designato in horaria tabella, quæ affixa extabit in sacrario, ad indicandum singularum actionum ordinem, ultimum Deo sacrificium afferatur. Deinde omnibus diebus festis, et feriis quintis fiat examen commune, et generale per semihoram, ad quod omnes prorsus fratres sacerdotes, clericique professi debent accedere, ut dictum est cap. x. Aliis diebus, qui justo impedimento carent, ultimæ inserviant missæ. Expleto examine peculiari, et missa, quando non erit examen generale, recitabuntur horæ sexta, et nona, tum procedent ad prandium. Eodem, quo supra, modo persolventur vespere. Post brevem autem collectionem spiritus ante sanctissimum Eucharistiæ sacramentum habebitur per horæ quadrantem spiritualis lectio communis, qua expleta quisque suum adibit studium, vel ministerium. Hora præscripta recitabitur completorium, postea per integram horam fratres intenti erunt sacræ meditationi. Quando habent iter, et inter apostolicas missiones obeundas, cum difficile sit tandiu in meditationem incumbere, diem nihilominus labi non sinant, quia per horæ saltem spatium id agant, tempus diligentes minus occupatum, maxime diluculum, ut expeditiores postea iter, ac ministerium evangelicum prosequantur. Caveant autem diligenter fratres nostri, ne unquam orationem prætermittant, suoque vitio bonis magnis, quæ illa affert, amissis, mala gravia incurrant, quæ celeri solent carere remedio. Sacerdotes omnes enixe rogantur, ut ante divinum sacrificium missæ immaculatum, spiritum colligant, animum ad sacra ministeria sancte componant; præscriptis ab Ecclesia ritibus accurate, et reverenter insistant, cæremonias probe, decenterque obeant, verbis, et actibus religionem præseferentes, et sanctimoniam. Peracto sacrificio debitas Deo laudes, et gratias persolvant, neque statim ad aliena transeant. Ita oblati sacrificii uberiores fructus capient, majorique in dies amore erga Deum flagrabunt, tum etiam paratiores, ac digniores fient ad divina tractanda.

CAPUT XXII.

De faciendis a fratribus laicis.

§. 24. Dum matutinæ in choro persolvuntur preces, fratres laici recitabunt coronam Domini Nostri Jesu Christi, id est ter et tricies orationem Dominicam in memoriam sanctissimæ vitæ, passionis, et mortis ejus. Ad horam primam, septies orationem ipsam cum angelica salutatione beatæ Mariæ Dei genitricis repetent in memoriam laborum ejusdem Domini. Ad tertiam, quinquies, illius flagellationem recolentes. Ad sextam, ter, coronationem, et irrisionem meditantem. Ad nonam denique ter preces ipsas pronuntiabunt, memorantes cruci affixionem, agonem, et mortem, quam pro nobis subire dignatus est. Ad vespere illas septies repetent in memoriam dolorum beatæ Mariæ virginis. Ad completorium postremo, quinquies, pro plagarum Dominicarum numero, et sepultura. Mane, et vespere piæ meditationi dabunt operam, et postquam divine interfuerint sacrificio, suum quisque adibit ministerium. Singulis diebus festis non continuatis, postquam conscientiam per sacramentum pœnitentiæ expiaverint, sacra Eucharistia reficiantur. Idipsum feriis sextis facient. Tempore quadragesimæ, atque Dominici adventus ter in hebdomada Christi corpus accipiant, nisi aliter animæ ductor suadeat. Exacte, ac diligenter imposita sibi munera exequantur, ferantque libenter congregationis onera. Sacerdotes, ut Dei ministros reveantur. Sicut humiles, obedientes, et religiosæ paupertatis amantes. Res congregationis curent sedulo, Deique habeant. Meminerint illarum sibi custodiam esse impositam, quæ si suo pereant vitio, vel in deterius labantur, exactam Deo rationem esse reddituros. Sæpe finem suscepti instituti cogitent, atque ad illum studia, et actiones dirigant.

Fratres laici non præstant ea quæ persolvunt religiosi professi, et quomodo eorum munera differant, declaratur.

CAPUT XXIII.

De oratione.

§. 25. Meditationes fere sint de divinis attributis, et perfectionibus, itemque de mysteriis vitæ, passionis, et mortis Domini Nostri Jesu Christi a qua omnis religiosa perfectio, et sanctitas potissimum magisterium capit, et incrementum. Contendat quisquis ardenti Dei amore præstare fidem vivam, operosam, constantem fovete. In omnibus

Methodus in oratione servanda suadet.

Deum præsentem cogitent. Hoc modo assidue orabimus, facile vitia fugiemus, virtutem sectabimur. Erga divinissimum Eucharistiæ sacramentum fratres præcipua veneratione ducantur; sæpe in altari illud invisent, adorent debitis laudibus, atque assidua gratiarum actione prosequantur. Frequenter sumere cupiant, illique intime, et spiritualiter uniri, ut possessa ab eo corda soli Deo vivant, et ardentissima charitate æstuent. Clerici ter in hebdomada divina Eucharistia reficiantur, omnibus diebus festis non continuatis. Id agant majore, qua fieri licet, vitæ innocentia, et sanctimonia. Se ad hoc comparent congruentibus meditationibus piis, fervidis virtutum exemplis, præsertim fidei, charitatis, et humilitatis. Post acceptum sacramentum in seraphicos ardores effusi, debitas pro tanto munere gratias agant, gratosque perfectioris vitæ institutione se præbeant. Beatam Dei genitricem, semperque virginem Mariam, congruenti honore colant, et præcipuam patronam habeant: dolores acerbissimos, quos in passione, et morte filii passa est, identidem memorent, ejusque venerationem verbo, et exemplo promoveant.

CAPUT XXIV.

De studio literarum.

Tempus assignatur, quo ad studium literarum, in quavis anni tempestate, operam dare liceat, quodque in exercitio aliorum ministeriorum tenere illi tenentur, qui studiis minime vacant.

§. 26. Recitata in choro hora tertia, fratres sexquihoram in literas incumbant: diebus vero longioribus anni, duas integras horas literarum studio impertient. Magister docendo, explicandoque destinatum insumet tempus. Post studium, spiritualem lectionem habebunt in cella, cui examen particulare præmittent. Utantur libris, quos aptiores suo quisque profectui censebit accedente consilio ductoris animæ. Quod supererit tempus conquiescant solitarii, aut deambulent levandi animi causa usque ad horam sextam. Qui literis non vacant, suis fungantur ministeriis. Post vespertas, rursus erit literarum studium, sicut mane, quo completo divertent eodem modo, promptique sint ad recitandum statuto tempore completorium. Si divinæ bonitati placuerit operi suo incrementum præbere, in unaquaque provincia literarum studium constituetur, ubi juvenes philosophiæ, ac theologiæ operam dabunt, ut aptiores ad animarum cultum evadant, et in vinea Dominica pro viribus laborent. Singulæ congregationis scho-

læ angelici doctoris inconcussæ doctrinæ firmiter hæreant, eamque præceptores omnes districte tradere teneantur. Studium ipsum sex annis continuabunt, quorum duos utiliori, et graviori philosophiæ tribuent, excisis quæstionibus minus necessariis, et procul a novitatibus. Tres in theologiam dogmaticam, et moralem impertient, quæ instituto nostro maxime congruunt. Sextum scripturarum divinarum, atque sanctorum patrum meditata lectio sibi vindicabit. Interea pro personarum, ac studiorum discrimine apostolico muneri ex occasione assuescent, ut in generali omnium literariorum studiorum examine, quod in fine ejusdem anni instituetur, facilius cultum, ingenium, et aptitudo cujusque dignoscatur, et pro merito ministeriis ad proximorum salutem obeundis addicatur. Examen generale juvenum fiat a tribus examinadoribus electis a majore congregationis præside, suisque consultoribus in provinciæ suæ mansionis, tum ipse, vel alius ab eo designatus intererit. In aliis provinciis examinadorum electio pertinebit ad superiorem provincialem, ejusque consilium: qui item, vel alius qui suas vices gerat ab eo nominandus aderit examini. Præter hoc examen generale quotannis in fine studii, aliud particulare fiat a duobus examinadoribus enarrato modo electis, præsentem rectore domus, de argumentis in schola pertractatis eodem modo, ut ingeniorum perspecta præstantia, supreni præsidis, vel provincialis in aliis provinciis accedente consensu deligantur aptiores ad literaria studia continuanda, remotis ineptis, et negligentibus. In solitaria domo, studii literarii matutina meditatio horam dimidiam non excedat, quo tempore lectores missæ sacrificium Deo offerent, si id commodum acciderit. Rector paterne curabit, ut ii, qui scholastico studio sunt addicti, singulis diebus antequam studium aggrediantur et panis frustulo, et vini haustu stomachum reficiant, pariterque feria sexta aliam herbarum portionem communi prandio supererogetur. Præterea donec literarum curriculum fuerint emensi, exceptis tamen tum festivitatum, tum vacationum diebus a matutinis precibus media nocte persolvendis eximantur. Meditatio vero tum mane, tum vespere ultra horæ dimidium ne protrahatur. Cetera dispositioni a provinciali præside decernendæ accommodentur. Hæc omnia lectoribus suffragentur, ac faveant. Ut autem inter assidua studia perfectionis spi-

ritus non tepescat, præscribitur, ut semel antequam post vacationem studia resumant, spiritualia exercitia per octo, aut decem dies pie, ac devote peragant. Clerici hujus nostræ congregationis ad sacros ordines non promoveantur, nisi annos quinque in ipsa laudabiliter expleverint, nullasque quantavis doctrina præditus, ac pietate, licet sacerdotio initiatus, apostolicis nostris ministeriis addicatur, nisi post expletum in congregatione triennium, dummodo ob speciales aliquas circumstantias aliud præposito, suisque consultoribus non videatur.

CAPUT XXV.

De ratione nunciandi verbum divinum, et præcipuis sacrorum concionatorum partibus.

Quod nemo ex fratribus in concionibus uti possit stylo sublimi ad nunciandum divinum verbum, statuitur.

§. 27. Nulli ex minima congregatione nostra ad nunciandum divinum verbum electo, liceat inter concionandum uti stylo adeo sublimi, et elegantiori, ut obscurus evadat, minusque a plebe, et rudibus intelligatur: sed verbi Dei panem parvulis frangat adhibita dicendi methodo clara, atque perspicua, ne sermo efficacia careat, majorique ex fructu divina gloria incrementum capiat. Postea debitum, modumque exacte implendi divinam legem, docebunt diligenter populos rationem probe expiandi conscientiam per sacramenta pœnitentiæ, itemque sumendi reverenter, ac sancte divinissimam Eucharistiam hortodoxæ fidei mysteriis patienter plebem erudiant: quos negligentiores noverint, studiosius excolant, ut acceptissimus Jesu Christo labor uberiores in dies fructum pariat in terra. Quadragesimalium concionum provinciam non sumant, sed aliis hac relictis, ipsi eo tempore in domibus solitariis Deo vacent, ut charitate aucti, validiore conatu post pascha dominicæ resurrectionis missiones apostolicas aliasque consuetas proprii instituti exercitationes obeant pro bono proximi. Justa tamen poscente causa poterunt etiam eo tempore obire officia instituti propria. Ad pie meditando vitæ, passionis, et mortis Domini Nostri Jesu Christi mysteria, populos non adhortentur tantum, et inflamment, verum etiam instruant: orationi assuescere doceant, simul perniciosum quorundam errorem detegant, et refellant qui divinatorum meditationem, religiosorum hominum, et clericorum dumtaxat occupationem censent; opportunis

monitis, et constanti fiducia in Deum ardent, ostendantque superna inter orandum lumina non defutura, quibus magis magisque fallaces diaboli, et mundi artes noscant, vitiorum deformitatem videant, et appositam illi virtutum præstantiam. Ad nostros etiam præcipue pertinebit suadere christianis populis pium erga deiparam virginem cultum, debitam locis sacris, et personis reverentiam, et ut paucis multa complectamur, ea studiose præstare omnia, quæ pro temporum, locorum, et personarum discrimine potissime populis prosunt, eorum malis, et absurdis pia sedulitate depulsis.

CAPUT XXVI.

De methodo obeundi missiones apostolicas.

§. 28. Methodum aliquam tradituri peragendi cum fructu missiones apostolicas, cum juxta apostoli testimonium, non eadem singuli dona a Deo obtineant; ideo iis tantum onus imponatur apostolicas missiones obeundi, quos duo instituti nostri theologi per præpositum, vel provincialem deputandi, idoneos renunciabunt, prævio diligenti examine super eorum sufficienti doctrina, atque inspectis concionibus, aliisque operibus, quæ scripto tradent ipsimet deligendi. Immo ipsis theologis exposcentibus privatim quoque, et clanculum proponant, quæ publice populis sunt exposituri. Ad missiones vero nunquam pergant, nisi obtemperata præsidis generalis, vel provincialis licentia. In primis fratres monemus, ut ministerii sanctitatem, et gravitatem, et finem expendant, et nihil unquam prætermittant, quo suo defuisse debito videantur, proprioque vitio vertatur, si illud minus exactum, et populis fructuosum accidat. Nullam exercitationum spiritualium, quæ tanti momenti opus anteire, et sociare debent regulam præscribimus, memores ad eam curam fratres universos in solitaria instituti nostri domo potissimum, et assidue incumbere. Hoc studium in ministerio pro viribus continuent, consuetæ orationi vacent, reverenter divina officia persolvant, sanctæ missæ sacrificium offerant, ante, et postea religiose se colligant, si necessitas non impediatur: agenda mature, prudenterque considerent: omnia sacro operi congruant.

Ad missiones apostolicas nemo mittatur, qui electus per præpositum, et provincialem idoneus reperiendus non fuerit.

§. 29. Priusquam e domo solitaria ad missiones apostolicas peragendas fra-

Et quid electi præstare debeant ante agres-

sum exponitur.

tres dilecti proficiscantur ante altare sanctissimæ Eucharistiæ procumbentes has constitutiones ibidem lectas implere promittant, scriptoque exceptas secum deferant: sub cujusque missionis initium illarum lectionem iterabunt, fiduciaque in Deo fixa sperabunt, si congregationis præscripta fideliter, et exacte servaverint, nunquam sibi ejus gratiam defuturam, ea opportune tribuentem auxilia, quibus feliciter laborum finem obtineant. Implebit scilicet misericors Deus, et justus, quod jampridem per Malachiam prophetam fidelibus suis est pollicitus cap. xi. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ, et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat: lex veritatis fuit in ore ejus: in pace, et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate =.

Exponitur quæ sit præcipuarum actionum distributio tempore missionis.

§. 30. Duo fere sint fratres, qui ad missiones legantur, plures tamen esse poterunt, si indigentia exigat, vel locus postulet; ex his aptior superioris vices gerat, cui alter, antequam domo egrediatur, obedire pollicebitur, iterabitque promissum sub initium cujusque missionis. Missione cœpta duo eligantur deputati viri graves, et idonei ad componendas discordias: alii qui confluentem populum ordinent. Si acciderit ut aliquis ex nostris fratribus ad dirimendas lites, vel conciliandos dissidentes evocetur, pacifice, sapienterque suas partes impleat, semperque sui similis, nulli unquam injurius non excandescat, nec aliqua de causa quamvis gravi, et permolesta irascatur: pertinaces obices, et difficultates patienti charitate remove curet, neque semel, sed iterum, ac tertio rem naviter aggrediatur, ut conficiat: incassum porro laborans, eadem animi tranquillitate, ac suavitate pertinaces relinquat, Deo causam commendans.

De cibo sumendo in domibus benefactorum.

§. 31. Dum missioui dant operam morari poterunt in ædibus particularibus benefactorum, solique cibus vescantur, quos illorum charitas laborantibus tribuet, et pro opportunitate silentium servent. Sumpto cibo animum aliquandiu relaxent: si quid ad missionem pertinens interea tractandum sit, ita rem agant, ut paucis, ac prudenter expediant: si vero absurde, vel contra præscriptum aliquid fiat, non irascantur, sed patienter, ac demisse ferant. Cum mulieribus in propria domo morantibus non agant, etiamsi pietatem, et morum gravitatem præferant. De rebus ad animæ salutem loqui capientes non

ægrotae, nec alio justo vitæ impedimento, audiantur in sede confessionali, vel opportuno ecclesiæ loco: alias nusquam eas conveniant, vel familiariter accipiant, multoque magis caveant, nec doceant canere cantuunculas.

§. 32. Apostolicæ missionis tempore modeste, atque prudenter versentur. Agant semper de rebus utilibus, potissimum de recte, ac sancte peragendo suscepto ministerio. Parci sint verbis, ac temperantes. Quando aliquid agendum proponitur, etiam a fratre superiore mature procedatur, nec statim a socio exigatur responsum, ut rei considerationi locus sit, tempusque intercurrat opportunum, quo ille negotium Deo commendet. Contra votum, et expectationem acceptum responsum, qui sententiam rogavit æquo animo ferat, nec mœroris præbeat inditium. Si quis in alio aliquid emendatione vel nota dignum animadverterit, fraterne, ac tempestive corrigat, non celeriter, nisi talis sit defectus, qui præsentis remedio indigeat. Sero, suaviter, pacifice, ac modeste admonitionem adhibeant, antequam dormitum eant, nec adsint alii. Non altercentur, non jurgentur, nec indignentur. Correptus excusationem non ostendat, sed monitori humilem, et obsequentem se præbeat. In examine autem demisse poscat a Deo veniam, et serio emendationi studeat. Alio tempore de defectibus non loquantur, nec disputent de re aliqua etiam sancta.

Quomodo intersè versari debeant missionarii.

§. 33. In primis fratres parato, libentique animo suscipere, et obire debent missiones apostolicas ubicumque vocati fuerint, vel quo missi fuerint ab illustrissimis, et reverendissimis episcopis et Ordinariis, sive sint urbes, et oppida, sive rura, pagi, insulæ, locique pauperes, incommodi, molesti, et laborantes aeris inclementia: voluntatem illorum divinam censeant, potiorique jure propter Christum gaudeant, quando laborare contigerit pro animarum suarum salute in regionibus magis neglectis, et ignobilibus. Si quos forte adversantes, vel molestos habeant, ne decidant animo, neque commoveantur, sed silentes patienter illos ferant, procul semper a mœrore, et questibus. Male accepti, minus decenter tractati, vel a paucis auditi, eandem animi moderationem, et tranquillitatem præferant: hortentur tamen prudenter, suaviter, validisque rationibus, ut occasionem consulendi bono animæ non prætermittant, Deique causam agant, non propriam. Si loci frequentia plures con-

Monita omnino implenda.

fessarios exigit, modeste id e suggesto aperiant rogantes, ut indigentia fiat satis. Si repetita preces incassum cedant, ne ulterius rem urgeant, sed tranquille, pacateque apostolicos labores prosequantur; nec querantur, et exprobrant si populus tradita salutis monita non impleat, rarique ad peccata per penitentia sacramentum expianda accedant: sed contenti naviter inculcasse facienda, demisso animo divina voluntati acquiescant. Fessus e pulpito rediens socius, si confluentibus sacramentum penitentia administrare nequeat, alter frater operam praestet, donec ille vires integret. Dissentiones pro viribus fugiant praesertim coram aliis; sed unam servantes voluntatem, atque sententiam, merito gloriari possint. = In domo Dei ambulavimus cum consensu, facti bonus odor Christi in omni loco. = Ut hoc facilius obtineant, saepenumero de faciendis consultationes instituunt, prudentia hac in parte praesent, sagacique consilio futura quandoque antevertant. Socius potissime curabit, ut necessaria sacro ministerio, et actionibus opportune praeparantur, ne quid operi desit, aut turbate, et absurde fiat, prudenti in rem ipsam impenso studio. Si res aliqua minus prospere cesserit, non querantur, sed pacato animo negotium Deo commendent. Peracta missione non quaerant ab ecclesiasticis, vel saecularibus an impensa a se opera grata populo, vel praesidibus acciderit, sed contenti facto, atque humilitati insistentes intime, nihil praeter Dei gloriam, et proximorum utilitatem ultra postulent. Prisdie ejus diei, quo sunt discessuri, benefactores demisse rogabunt, ut itineris ducem tribuant: mane sequenti diluculo cum illo proficiscantur: aliorum societatem studiose vitent, ut silentio iter habentes facilius divinarum rerum contemplatione spiritum reficiant.

De reditu in
domum solita-
tiam.

§. 34. E missionibus domum reversi, aliquandiu in Domino relaxent animum, nihil interea omittentes ex consuetis exercitationibus spiritualibus regulae. Superioris arbitrio prudentis id agatur, qui peculiari charitate illos complectatur, qui in vinea Domini laboraverunt, ut simul corporis, et animi vires instaurent pro indigentia. Eos qui e missionibus redierunt, idem praeses in vicina oppida sine necessitate migrare non sinat, etiamsi fuerit rogatus, et enixe requisitus. Fratres ejusdem acquiescentes voluntati libenter domi maneant, religiosae quieti, et piis meditationibus ad Jesu Christi crucifixi pedes intenti,

et post sex, aut octo modestae recreationis dies ad vires corporis recuperandas; sacris spiritualibus exercitationibus vacabunt. Nullus domo exeat sine socio, qui tribuetur superioris arbitrio.

CAPUT XXVII.

De silentio.

§. 35. Die vesperi post recitatum in ecclesia sanctissimum rosarium, cum aliis precibus infra memorandis, per tintinnabulum indicetur silentium, durabitque usque ad horam tertiam. Denunciabitur etiam silentium post meridianam relaxationem animi, vigebitque ad vesperem usque. Eo tempore nemini loqui fas erit: si necessitas postulaverit submissa voce fiat. Post horam tertiam, et vespertinam ante studium literarum eo modo loqui permittitur de rebus necessariis, et ad studium pertinentibus, non autem de inutilibus, et superfluis; item in culina, horto, aliisque in locis, ubi operari pro congregatione oportet. Si quis vocandus fuerit, id per fratrem destinatum, sigao edito fiat, vel ubi manent ex munere fratres quaerantur. Perpetuum vero silentium servabitur in choro, triclinio, et dormitorio, numquam enim in his locis sine necessitate fratres loquantur, nec cuiquam, praeter superiorem aut vicarium ejus, liceat alium in cella convenire, aut cum eo colloqui: in infirmitatibus vero fratrum liceat eos visitare.

Quo tempore
denunciari, et
servari silen-
tium oporteat.

CAPUT XXVIII.

De relaxatione animi.

§. 36. Quotidie post prandium, vel coenam, vel quae coenae loco tempore jejunii succedit comessationem, erit communis animorum relaxatio. Sint proinde in ea modesti, hilares, jucundi, prudentes omnium obsecundantes honestae voluntati. Scurrilia fugiant, neminem laedant, vitentque disputationes, contentiones, rixas, quidquid denique fraternam charitatem offendant. A kalendis martii, usque ad idus octobris post meridiem animorum relaxatio protrahatur ad horam: post coenam vero ad horae dimidium. Ab idibus octobris ad martium, post prandium producet media hora, post coenam hora, nisi aliter prudenti superiori videatur. Constitutum in hac regula tempus, designabitur in horaria tabella, ut quisquis

Comunis ani-
morum rela-
xatio erit co-
messatio post
prandium, et
coenam in qua
servandus erit
modus, et fu-
gienda scurri-
lia.

noscatur, quid agendum sit interdiu, noctuque. Omnibus diebus festis totius anni, per horam integram erit meridianam, et vespertina relaxatio. Eadem communis sit sacerdotibus, clericis professis, et laicis, quo magis magisque fraterna charitas in omnibus vigeat, et perennet. Si clerici professionem non emiserint, neque excesserint a professorio, id est dum studio literarum vacent, ab aliis secreti manebunt. Laici vero fratres non antea ad relaxationem accedant, quam partes suas in culina, triclinio, et alibi expleverint. Ad communem relaxationem nunquam exteri admittantur, nisi aut caractere, aut dignitate, aut merito tales sint, ut cum eis prudenter dispensandum censeatur. Aestate inter relaxationem meridianam, et vespertas intercedat hora cum dimidio: hyeme hora circiter, quo tempore universi secedant in cellam, ut soli quiescant. Omnibus diebus dominicis, et quintis feriis post vespertas erit collatio theologiæ moralis, in qua singuli, de rebus in quæstionem vocatis aperient sententiam; demisse tamen, breviter, sine strepitu, atque contentione. Expleta collatione omnes silebunt, inde divertent modestæ exercitationi intenti superioris arbitrio, non tamen ludo, aut aliis exercitationibus quæ animum distrahunt, fere colloquantur de rebus utilibus, quæ in Deum inflamment; memores semper hoc genus jucundarum actionum permitti, ut animum sublevent, non autem ut immineant, aut deprimant pietatis spiritum. Mane feria quinta literarum studio navabunt operam; a meridie vacabunt. Diebus festis cuilibet liberum sit matutinum tempus in spirituales exercitationes, seu piorum librorum lectionem impendere. Quod supererit ex communibus exercitationibus, vel particularibus pietatis officiis erga proximum studeant pie insumere, silentium ament, otium fugiant.

CAPUT XXIX.

De agendis in triclinio.

§. 37. In triclinio silentes modeste maneant, demissis oculis manducant, ac simul Deum cogitent: quod ut facilius cum spiritali fructu assequantur, lectionem pie, atque attente audiant, humilitati, abstinentiæ, ac divinorum meditationi, vel inter epulas, quo licuerit modo, dantes operam. Tempus mensæ prudenti præsidis relinquatur arbitrio, cujus debitum, et partes erunt singu-

lorum indigentiam expendere, atque potissimum curare ne quid alicui desit, ac ut omnia recte se habeant. Nemo locum sine necessitate, vel justa de causa mutet. Qui prius manducare desinit piæ meditationi expeditior vacet. In triclinio sæculares homines non admittantur, benefactoribus, ac aliis distinctis personis exceptis: locum tamen ipsi occupent distinctum ab exteris: sacerdotibus vero, et aliis religiosis hominibus præcipua charitate, et humanitate susceptis dignior semper tribuatur locus.

CAPUT XXX.

De distributione munerum quolibet die vesperi facienda a superiore.

§. 38. Quolibet die vero antequam silentii signum edatur, superior domus agenda die sequenti munera distribuatur, ut omnia recte, et accurate gerantur; simul Dei amorem super omnia enixe fratribus commendat: deinde mandati contemptum, servandi religiosi instituti studium et mutuam charitatem inculcet.

Superior quolibet die vesperi munerum distributionem peraget.

CAPUT XXXI.

De somno, et quiete nocturna.

§. 39. Superioris mandato obedientiam professi fratres in ecclesiam accedant, ibique adorato Jesu Christo in Euchariæ sacramento latente; tertiam partem rosarii beatæ Mariæ semper virginis recitabunt, cum aliis consuetis precibus, omnium oratione Dominica, salutatione angelica, antiphona immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ semper virginis = *Tota pulchra es Maria* = sancti Michaelis archangeli, sancti titularis domus religiosæ, itemque psalmo = *De profundis* = pro benefactoribus vivis, et mortuis. His expletis fiat examen conscientiæ, aspersique omnes aqua lustrali a superiore, additaque benedictione indicetur silentium. Tum omnes cellam suam dormitum petent, media nocte ad matutinas persolvendas preces surrectari. Nullus quamvis ægrotus tunicam exuet, in lecto modeste sint compositi, Deumque et angelos præsentis cogitent, distractionibus importunis ac molestæ vigiliæ obstruant aditum, quo facilius, atque pacatius quiescant: diabolus enim omnes solet artes adhibere, ut Dei famulos insomnes reddat, ne stato tempore expeditis, ac liberis sensibus divina meditentur: rogandus proinde Dominus est, ut malum aver-

Expletis precibus in ecclesia, quilibet propriam cellam dormitum petat, sed tunicam non deponat.

In triclinio demissis oculis manducandum et cogitandum de Deo, et pie audienda lectio spiritualis, et seculares homines non recipiantur.

tat, vivificæque crucis signo callidus hostis ejiciendus, ne quo modo noceat. Superioris munus erit noctu cellas invisere, ut an modeste fratres cubent, inspiciat: nulli proinde liceat eas claudere, ne hanc præsidii potestatem impediatur.

CAPUT XXXII.

De electione præsidum congregationis.

Quæ sit methodus servanda in electione supremi præsidii statuitur.

§. 40. Propagata atque diffusa, Deo auxiliante, congregatione, eligetur supremus præses ejus; appellandus præpositus, qui caput sit, et jurisdictione potiatur in omnes domos solitarias; implebit et ipse constituta omnia, suoque aliis religiosæ disciplinæ præibit exemplo. Semel in anno universas domos, et ecclesias invisat, dispiciatque an in singulis congregationis regulæ, et constitutiones serventur. Absurda præsentis remedio auferet, curabitque ut recte, ac rite procedant omnia. Ad sexennium munus protrahetur. Quoniam verò a capite pendere maxime solet membrorum sanitas, electores summa ope niti debent, ut omni posthabita humana ratione digniorem, et aptiorem seligant, cui totius congregationis regimen imponant, prudenterque gerere possit, et sancte. Quapropter suo non contenti iudicio, et opera, per demissas preces lumen a Deo. poscant. Ea de causa per triduum in omnibus congregationis ecclesiis publicæ christifidelium venerationi exponatur divinissimum Eucharistiæ sacramentum, ut Dominus Noster multiplicatis precibus facilius, quod optamus indulgeat. Ut autem in tanti momenti negotio mature procedatur, huic electioni illi dumtaxat suffragari poterunt, qui actu rectores, et consultores fuerint, itemque illi, qui alias fuerunt præpositi. Si autem comitia habebuntur in domo novitiatus jure suffragandi gaudebit etiam novitiorum rector. Omnes memorati officiales poterunt activo, et passivo suffragio. Eligendus vero præpositus saltem decennium in congregatione laudabiliter transegerit. Ad hæc habenda comitia eligetur domus solitaria potior, sive opportunior, atque commodior. Impensis perferendis, si domus ipsa fuerit impar, aliæ pro rata subsidium conferant. Capitulum indicetur per epistolam encyclicam mittendam ad universas congregationis domos, tribus ante peragendam electionem mensibus, neque tantum locus, sed et tempus certum, quo comitia ha-

bebuntur, designabitur, ut particularia capitula mature agere possint, quæ opportuna censuerint, prudenterque disponere facienda, maxime quando iter longum est suscipiendum, cujus temporis, et conditionis rationem præcipuam habere debent, qui indicant comitia. Rebus ita dispositis suffragatores stata die congregabuntur in loco apto, et congruente; invocatoque divino Spiritu, quisquis suffragium secretum edet scripto expressum. Ex urna porro, in quam fuere conjecta, frater ad id electus extrahet, duobus assistentibus discretis. Duæ ex tribus partibus canonicam approbationem efficient. Lecta subinde, et publicata in acta capituli referentur. Qui rite recteque fuerit creatus præpositus, ab universis obedientiam excipiet, habebiturque vice Christi. Mox omnes in ecclesiam accedent, actisque Deo gratiis ante altare ubi asservatur, et colitur sanctissimum corpus Christi Jesu, ritu solemniter concinent hymnum = *Te Deum laudamus* =. Eodem modo in ipsis comitiis ab memoratis suffragatoribus deligentur duo consultores, easdem conditiones habentes, quibus potiri debet eligendus præpositus, ac omnes dignitate præcedent post ipsum præpositum, eruntque illi soli immediate subiecti. Sine illorum consensu idem supremus præses nullum alicujus momenti conficiet negotium, quod ad regimen congregationis pertineat, gaudebuntque illi in rebus hujusmodi, ac sui muneris suffragio decedente. Eodem ritu in ipsis comitiis eligetur procurator generalis, qui proximum, post præpositi consultores, obtinebit locum; itemque deligentur omnes rectores. Mox præpositus unicuique vicarium tribuet, qui illis absentibus, indigentibus, vel impeditis, subsidiariam operam præstabit, et vices gerent. In singulis autem congregationis domibus, primum post rectorem locum vicarius obtinebit. Item ad præpositum, et consultores pertinebit electio directoris novitiorum, qui proximum post rectorem occupabit locum. Si post habita comitia generalia aliqua nova domus fundetur, rectorem ejus præpositus, et consultores constituent. Ante sexennium obeunte præposito congregationis regimen suscipiat primus consultor, alter vero primi consultoris munere fungatur, et loco illius a vice-præposito, et eodem consultore frater alius ex dignioribus instituitur. Idem statuitur, vita decedentibus consultoribus. Si autem primo triennio moriatur præpositus, congregationem gu-

bernabit usque ad finem tertii anni, quo expleto, per generalia indicenda comitia, nova fiat præpositi, et consultorum electio. Idem agatur, si præpositus vita discedat altero excurrente triennio. Dilata in provincias congregatione, singulis provincialis præses, et consultores præficiantur, penes quos erit ordinarium provinciæ regimen, et domorum ejus annua visitatio, quando hanc ipsam præpositus non expleat, vel alium explere non jubeat. Crescentibus provinciis, generalis omnium domorum visitatio a præposito quotannis facienda, non erit annua, sed explenda intra sexennium. Sine præpositi generalis facultate, provinciale capitulum non indicatur, cui ipse vel alius a se, suisque consultoribus deputandus intersit. In capitulo provinciali, de solius provinciæ rebus agatur, nunquam vero de aliis negotiis ad universam congregationem pertinentibus. Decreta demum in eo edita, vim non habeant, nisi antea per ipsum præpositum generalem, suosque consultores comprobentur. Ex provinciis particularibus congregationis, soli provinciales præses cum suis consultoribus accedent ad generalia comitia, in quibus præpositus est eligendus. Qui semel generalis fuerit præpositus, eodem gaudebit jure; itemque procurator generalis. Electio præsidis provincialis, suorumque consultorum, rectorum, item directorum novitiorum cujuslibet provinciæ pertinebit ad capitulum provinciale, ad quod accedere poterunt, et in eo suffragari officiales ipsi una cum direttore novitiorum si capitulum in ejus domo habeatur. Provincialium præsidum regimen non excedat triennium; confirmari tamen poterit, et prorogari, si ita expediat ad aliud dumtaxat triennium, itemque consultores, ac rectores. Eidem præsidi intra triennium morienti, succedet primus consultor usque ad finem tertii anni: secundus vero consultor eligatur a vice-provinciali, suoque consultore. Pari modo si rectores vita decesserint ante expletum triennium, succedant vicarii cum eadem prorogatione potestatis. Si spiritualis congregationis profectus, ac temporum et rerum conditio exigat, confirmari etiam poterit semel generalis præpositus ad aliud sexennium. Idem statuitur de suis consultoribus, ac generali procuratore.

CAPUT XXXIII.

De superioribus domorum particularium, eorumque regimine.

§. 41. Cujusque solitariæ domus præses, rector appelletur. Electus præpositi generalis, et post institutas provincias, provincialis præsidis patentes accipiat, et ostendat literas. Fratres universi reverenter illum excipient, et complectentur cogitantes a Deo electum, ut se in viam religiosæ perfectionis dirigat. Præsenti assurgant, loquentem attente audiant, jubenti demisse, modeste, ac expedite obediant, suam illius voluntati ex animo proponant, Deum semper in ipso cogitantes, et reverentes. In hoc curam omnem impendant, ut tanquam pueri ab eo ducantur, nunquam magis hilares, quieti, et contenti, quam cum rectoris accipiunt, et exequantur jussa, etiamsi talia quandoque videantur, quæ imprudentiam redoleant, nec propriæ dumtaxat voluntati, sed et rationi repugnent, innocentie studentes, et humilitati omnia in bonam partem sumant; id enim sæpe rector sapienter agit, ut subjectos comprobet. Alias Deus ipse hujusmodi permittit imperia, ut obedientie obstricti, ad religiosæ perfectionis incrementum evadant obsequentes, mansueti, simplices, propriis cupiditatibus mortui. Quavis moti causa detrahente rectori fugiant, ne Deum in illo offensum vindicem habeant. Contumaces vero, et detractores deprehensi, merita pœna plectentur. Fratres ad eum, tanquam patrem fidenter accedant, indigentiam aperiant, cordis arcana detegant, animi angustias, diaboli tentationes, et adversantes cogitationes significant, certum habentes, quoties id sancte faciant, se uberem virtutis fructum, et opportunum a Deo subsidium relaturos, nec solatos modo, verum etiam pacatos, lætosque discessuros. Præcipue agant, quando ab apostolicis missionibus, et aliis christianæ charitatis extra domum impensis ministeriis redeunt, ut facti rationem reddant, meritum augeant, dubia dissolvant, etsi quid minus rectum in socio deprehenderit mature pandant, ne malum præsentis remedio careat, neglectumque vires capiat. Caveat autem rector, ne hujusmodi gravioris momenti ministeria imponat fratribus iracundis, bile tumentibus, intemperantibus, aut quovis alio fœdatis vitio, cujus causa admirationem, aut scandalum possint ingerere. Deligetur etiam a præposito

Quomodo superiores domorum particularium regimen earum tenere debeant constabitur.

magister præcipuus spiritalis vitæ, ut si quis interdubia, vel adversa animum suum aperire nolit rectori, patefaciat directori animæ. Divina fultus gratia rector viribus totis enitatur, ut universæ familiæ lux sit, et exemplum, sedulus regulas impleat, curetque diligenter, ut alii pari studio exequantur. Errantes, negligentisque, paterne, suaviter, prudenter corrigat, et admoneat; culpas plectens disciplinæ studio charitatem conjungat, leviora remedia, severioribus anteponat, rigoremque nimium perpetuo fugiat, ut subjectis amabilior, quam timendus in dies evadat. Hac via acceptus fratribus illos, quo vult, facile ducet, tum etiam amorem, reverentiam, et obedientiam exiget. Arbitrio benigne utatur, fortitudini, atque constantiæ benignitatem societ, utrique vero prudentiæ, atque maturitas nunquam desint, quo facilius regularum, et statutorum executionem obtineat. Huic bono, quoniam commune examen, de quo alibi dictum est, conducit maxime, rectoris erit illud frequentare, et si opus fuerit, etiam quotidie per se, vel per alium instituere, a quo nulli fratrum licebit abesse. Eadem causa præpositi relinquatur arbitrio idipsum imperare quotidie rectoribus universis. Omnibus tamen diebus festis, et feriis quintis ex regulæ præcepto nunquam omittatur examen. In colloquiis particularibus, et secretis audita a fratribus rector inviolabili celet silentio, nec quovis modo, aut indicio prodatur. Virtuti, et orationi sedulo incumbenti, divinæ non deerunt doctrinæ lumina, quibus fratres tuto, sapienterque ad christianam ducet perfectionem. Eidem tegendi secreti legi obstricti erunt directores, vicarii, alique congregationis præsides. Semel in hebdomada superior domus cellas visitet; si alias id agere velit, liberum ipsi sit. Curet autem præcipue, ut fratres laici non solum doctrina christiana, verum etiam constitutionibus nostris, et regulari disciplina erudiantur.

CAPUT XXXIV.

De capitulo habendo feria sexta.

Qualibet feria vi. post vesperras habebitur capitulum in quo quisque culpas, et defectus patefaciet opportuna monita a rectoribus recipit.

§. 42. Qualibet feria sexta post vesperras omnes fratres conveniant in cellam capituli, invocatoque divino spiritu, quisque suas patefaciat culpas, defectus accusans in regulas, et constitutiones admissos; mox rector opportuna cuique tradet monita, et pro modo culpæ penas imponet. Agetur deinde a fra-

tribus senioribus de rebus gravioribus congregationis. Sacerdotes sententiam suam aperiant in his, quæ ad regimen, et religiosam perfectionem pertinent, præferentes modestiam, reverentiam, et demissionem animi. Fratres laici non loquantur, nisi fuerint a rectore interrogati. Si quid tamen noverint, quod institutis congregationis, et religiosæ disciplinæ adversetur, secreto superiori denuncient, ut malum tempestive adimat, ne dissimulatum, atque præteritum in aliorum vergat perniciem. Reicum charitate, et prudentia corripiantur. Semel et iterum res privata, et occulta secreto transigetur: at si malum patens fuerit, et manifestum correctio publice fiat in capitulo ea prudenter adhibendo remedia, quæ magis utilia, et opportuna censebuntur, audito consilio superioris præsidis, et seniorum.

CAPUT XXXV.

De ratione faciendi iter, et abstinentia a sæcularibus rebus.

§. 43. Iter faciant erecta pro viribus in Deum mente, modesti, compositi, pedites cum socio. Uti equo, aut alio commodo, ne ipsi quidem generali præposito liceat absque necessitate, aut causa gravi, nimirum adversæ valetudinis, aut vitandi gratia aerem noxium. Ante discessum facultatem cum benedictione a rectore postulent. Si vero iter longum futurum sit eadem facultas a præposito, vel provinciali obtinenda est scripto expressa, et munita sigillo congregationis. In via sæcularibus hominibus ne socientur; ac loquantur fere de piis, et utilibus rebus quæ magis magisque in Deum inflamment. Habitata ingressi loca ante omnia ecclesiam petant, ibique adorato Domino in Eucharistiæ sacramento, opportuna deinde sumant corporis levamenta. Mox exercitationibus christianæ misericordiæ, et charitatis ad instituti præscriptum dabunt operam, nec permissum illis sit, supervacuis visitationibus distrahi, sæcularibus officiis, maxime quæ mulierum inducunt consortia. Congruum tamen erit præsidis invisere, si justa subsit causa eos conveniendi, præsertim reverentiæ, et charitatis, quæ interdum in aliorum quoque bonum diffunditur. Ceterum mores ultro deserentes sæculi, pauperes potius ægotantes invisant in domibus hospitalibus, et conjectos in carcerem. Utrosque salutaribus juvent monitis, et solentur; tum etiam ad re-

Quod religiosis iter facientes pedites procedant cum socio, et equo, et alio commodo non utantur; nisi causa gravi intercedente.

colenda Dominicæ passionis mysteria inflamment. Domus Dei reverentiam, et decorem potissime cordi habeant, et pro opportunitate promoveant. Comperita vero in illis absurda, mature atque prudenter auferri studeant. Sine necessitate consanguineorum domum non adeant, sed vere mortuos suis, et mundo se ostendant unice Deo viventes. Si alicujus consanguinei fratris benefactores erant, qui promiscue, et indiscriminatum nostros excipiunt hospitio, hoc ipso charitatis officio gaudere, et ille poterit una cum aliis modeste, ac religiose se gerens perinde ac si in aliena versaretur domo. Nemo quovis prætextu se immisceat in conficiendis testamentis, contractibus, matrimoniis, aliisque negotiis sæcularibus. Nullus item discedat domo sine causa a rectore probata iturus in loca propinqua, ut cum hominibus sæcularibus agat: licebit tamen cuique accedente superioris permissu egredi ad deambulandum circa domum religiosam levandi animi causa, vel aliquid facilius memoriæ mandandi, dummodo longius quam par est non excurrant, neque id agant, ut soluti silentio liberius inter ipsos, vel cum exteris colloquantur. Permittitur siquidem fratribus modesta facultas loquendi de rebus utilibus, accedente superioris consensu, quæ prosunt animæ, simulque honestum corpori levamen tribuunt, sed hac cura fideliter, et religiose perfuncti, tempestive domum redeant, nihil boni amittentes egressu.

CAPUT XXXVI.

Methodus agendi exercitationes spirituales in loco vel urbe propinqua domui solitariae.

§. 44. Quando domus solitaria sit aucta fratribus, qui idonei censentur obeundis apostolicis missionibus, aliisque piis muneribus pro salute curanda proximi, poterit superior aliquem ex sacerdotibus, vel clericis deligere, qui dominica die in propinqua loca digressus, christianæ fidei doctrina, aliisque pietatis officiis erudiat vicinos populos, promoveatque apud ipsos assiduam memoriam vivificæ passionis, et mortis Domini nostri Jesu Christi; ita tamen frater ipse imposito fungatur munere, ut ad vesperascente die, aut saltem ante noctem domum redeat, ut bonum multiplex religiosæ solitudinis, quam fratres elegerunt ex regulæ præscripto retineant, ceterisque consuetis instituti

operibus addicti, plus æquo non graveatur. Diebus festis onus non suscipiant egrediendi præcise ad excipiendas confessiones sacramentales christifidelium penitentium in vicinis locis. Accedentes tamen quovis tempore ad ecclesiam nostram, ut sua peccata confiteantur, per delectos, atque probatos ad hoc ministerium sacerdotes, qua decet charitate audiantur. In domibus vero profundioris solitudinis, atque probationis, quoad fieri poterit, mulierum confessiones non excipiant.

CAPUT XXXVII.

De operibus satisfactionis, et meriti obeundis in congregatione.

§. 45. Præter jejunium præscriptum in constitutionibus fiat voluntaria verberatio corporis qualibet feria quarta, sexta, et sabbato donec expleantur psalmi quinquagesimus, et centesimus vigesimus nonus mæsta, atque demissa voce cantati, cum precibus consuetis: id autem non agatur a die natali Domini nostri Jesu Christi ad epiphaniam, neque octavis paschatis resurrectionis Dominicæ, et corporis Christi. A primo die adventus Domini usque ad natalem ejus, omnibusque diebus quadragesimæ erit voluntaria verberatio etiam feria secunda cujuslibet hebdomadæ; si in diem ipsum inciderit festum transferatur. Penes superiorem erit eadem corporis afflictionem indicere fratribus, molestis Ecclesiæ, congregationi, vel populo temporibus; itemque præcipere religionis causa, cum novendiale alicujus sacre celebritatis agitur, ad avertendum aliquid malum a proximo, vel bonum illi a Deo impetrandum. Liberum sit cuique fratrum ex peculiari virtutis studio illam frequentare accedente superioris, vel spiritualis ductoris permissu. Hoc autem deficiente, caveant universi, ne quid privato ducti arbitrio agant sine merito obedientiæ, cui potissime sunt obstricti, et quandoque etiam cum valetudinis dispendio nullo bono disciplinæ, neque religiosæ familiæ. Per ætatem arbitrio præsidis relinquitur verberationem indicare orationis hora. Feria sexta quisque studeat aliquam corporis afflictionem ultro pati, vel virtuti exemplum edere in memoriam passionis, et mortis Domini.

Designantur opera spiritualia qualibet anni tempestate obeunda in congregatione.

Si domus solitaria aucta sit fratribus, nonnulli seligendi sunt qui in locis vicinis christianæ fidei dogmatibus populum erudiant.

CAPUT XXXVIII.

De poenis, et afflictationibus imponendis ob violationem regularum, et constitutionum.

Præsidis arbitrio relinquuntur poenas leves imponere contra violatores regularum, ad capitulum autem pertinet de rebus gravibus judicare.

§. 46. Pœnæ illis imponendæ, qui suo deficientes debito regulas, et constituta congregationis violant, relinquuntur arbitrio, et prudentiæ præsidum, qui pro modo, et conditione culpæ ut illo debent, personarum etiam respectu habito. In rebus gravibus, et momenti cogatur capitulum, plectaturque reus pœna quæ salutaris, et opportuna censebitur, consulto superiore præside: in omnibus tamen christiana charitas locum sibi vindicet, et eniteat.

CAPUT XXXIX.

De cura fratrum ægrotantium.

Fratres ægrotantes omni diligentia custodiri debent, eisque indulgentiam ut tunicam deponant, si ita medici expedire dignoverint.

§. 47. Valentibus præcipuæ curæ sint fratres ægroti. His exacta diligentia, et christiana charitate inserviant, nullumque corporale, aut spirituale remedium prætermittant, ut afflictis pro indigentia auxilientur, et prosint. Ægrotantes contra quidquid tributum fuerit, demisse, libenterque suscipiant. Medicorum, et custodis valetudinarii jussa hilari animo exequantur, facilesque, et obedientes se præbeant. Aedes ubi curantur mundæ sint, ac probe instructæ. Suppellex quamvis pauper, apta tamen, ac decens, et rite disposita. Sæpe numero superior domus eos invisat, ceterosque charitate, sollicitudine, et vigilantia autecellat, ne quid laborantibus morbo, remedii desit, vel solatii. Ægrotantium lectus sit instrictus culcitra stramentitia, et lineo cervicali commodo, et operto tela lineæ vulgari quidem, sed nitida. Tunica induti propria cum sudariis humeralibus, sed syndone non utantur. Si forte medici, aliqua gravissima, et peculiari moti causa illam exui jubent, morientibus fratribus restituatur. Gravi affecti morbo decumbentes, nunquam soli relinquuntur, maxime noctis tempore. Illorum custodiæ destinati curam omnem adhibeant, ut corporalibus, et spiritualibus auxiliis tempestive juventur. Extremo laborantibus virium defectu exactiori studio adsint: ubi animam quis agere cœperit, fratres omnes in ægroti cubiculum conveniant, conjunctisque precibus illum Deo enixe commendent, ut pie sanctoque mortem obeat.

CAPUT XL.

De agendis in obitu fratrum, et de sacrificiis, et precibus pro illis, et benefactoribus in congregatione faciendis.

§. 48. Quum aliquis sacerdos, clericus, vel laicus e congregatione vita decesserit, rector domus ubi id accidet certiores faciat omnes aliarum domorum præsidēs, ut debitis sacrificiis, et orationibus ejus animam invent. Hoc accepto nuncio, mox in ejusque domus choro a congregatis fratribus totum defunctorum officium recitabitur, atque divinum offeretur sacrificium. Præterea ab unoquoque sacerdote tres missæ celebrabuntur. Fratres autem clerici, itemque laici quinquies sanctissima Eucharistia reficientur, integrum rosarium persolvant, ac semel universi religiosi verberibus se affligent suffragaturi inter pœnas piaculares animæ. Hortamur etiam universos congregationis fratres ut quæ poterunt opera pietatis pro mortuo impendere, et sacras indulgentias ex more catholicæ Ecclesiæ communicare libenter faciant, certum habentes id nos, permittente Deo ab aliis post mortem impetraturos, quod viventes pro fratribus præstamus. Cadaver super nuda tabula humi posita collocabitur, caput cinere aspersum proferet, manibus Jesu Christi cruci affixi imaginem ante pectus complectetur: tum sepeliatur in loco destinato secundum ritum sanctæ matris Ecclesiæ. Præter orationes, et alia pia opera, quæ in congregatione pro fratribus, et benefactoribus vivis, et mortuis assidue peraguntur, semel in mense recitabitur defunctorum officium, et sacrificium pro illis Deo offeretur. Idem fiet pro fratribus congregationis nostræ. Regulæ, atque constitutiones præscriptæ lethalis peccati fratres reos non efficient si non impleantur, dummodo ea in parte non violentur, quæ arcte religiosa vota attingunt. Nemo tamen in congregatione sit, qui eas ipsas exacte, fideliter, atque integre non exequi studeat, et pro facultate contendat: media enim validissima, et opportuna habentur ad christianam perfectionem in hoc vitæ statu, quem delegerunt, assequendam. Omnes proinde sinceris, ac simplicibus oculis eas legant, humili simul, ac simplici corde implere statuunt, privatim non interpretentur; ad examen non revocent, nec arbitrio explicant. Hæc facultas capitulo dumtaxat generali totius

Quæ sint explenda in obitu fratrum, et benefactorum distincta methodo explicantur.

congregationis servatur integra, et extra id temporis præposito generali, suisque consultoribus. Universis et singulis proinde carissimis filiis suis congregatio constitutionum studium, et obsequium enixe commendat, ac veluti mater unumquemque adhortatur = *Fili observa mandata mea, et vives* = Religiosa. siquidem cura, fidelique ac puro corde impleta, tranquillam afferent vitam temporalem, et pariter æternam, quam omnipotens, et misericors Deus, cujus gloria per illa unice quæritur omnibus impertiat. Amen = Regulas simul, et monita claudent verba sancti Bernardi abbatis = *Rogo vos fratres, et multum obsecro, sic agite, et sic state in Domino dilectissimi solliciti semper circa custodiam ordinis, ut ordo vos custodiat* = sic fiat. Amen.

Regulas et constitutiones laudat Pontifex, et confirmat.

§. 49. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus exponens regulas, statuta, seu constitutiones hujusmodi una cum additionibus, et declarationibus prædictis quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communicari plurimum desideret; Nos ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta statuta, regulas, seu constitutiones una cum omnibus additionibus, et declarationibus prædictis, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Et præposito generali pro tempore indulget ut rationabili intercedente causa aliquid immutare pro suo arbitrio possit.

§. 50. Eidemque præterea Paulo nunc, et pro tempore existenti præposito generali, ut justis, et rationabilibus concurrentibus causis, in peculiaribus casibus super observantia regularum, et constitutionum hujusmodi cum singulis personis ipsius congregationis dispensare, ac etiam de suorum consultorum, et provincialium, seu majoris partis eorum consilio, et assensu juxta temporum vicissitudines, et casuum exigentiam nonnihilo de earumdem constitutionum rigore quoad integras domos, vel provincias remittere libere, et licite possit, ac valeat, fa-

cultatem auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et impertimur.

§. 51. Volumus autem, ut in generalibus comitiis dumtaxat regulæ, ipsæ et constitutiones hujusmodi interpretari, ac declarari possint, ita tamen ut si quæ in eis immutanda, resecanda, et addenda, experientia suadente, videantur, de his ad apostolicam hanc sanctam Sedem referendum decernatur; ac insuper decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat; et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Ast interpretatio, et declaratio constitutionis fieri mandat unice in generalibus comitiis.

§. 52. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subacta, et decretum irritans.

§. 53. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xv. novembris MDCCLXIX. pontificatus Nostrî anno primo.

Deregatio contrariorum.

XXXVII. 

Datum die xv. Novemb. 1769. Anno I.

Indulgetur clero sæculari, et regulari domini reipublicæ Jannensis, ut recitare possint officium, et missam immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ virginis sine macula conceptæ, in ejus festo, et per totam octavam.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **R**atio pastoralis officii, quo Ecclesiæ catholicæ regimini superna dispositione præsidemus, exigit, ut pia christifidelium vota ad augendam in terris augustissimæ virginis Dei genitricis Mariæ cœli reginæ venerationem tendentia, apostolica benignitate libenter prosequamur. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum nobilium virorum ducis, et reipublicæ Januensis nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: ut a clero sæculari, et regulari domini

Cum summo patre deceat beatæ Mariæ virginis cultum in terris augere, ad supplicationem reipublicæ Januensis indulgetur recitatio officii ejusdem virginis sine macula conceptæ, quæ principalis est patrôna ejusdem Jannensis domini.

prædictæ reipublicæ officium proprium cum missa conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ assertæ patronæ principalis dicti domini tam in festo, quam per totam octavam, prout in universo ordine minorum sancti Francisci Conventualium nuncupato, quem Nos ipsi professi sumus juxta literas apostolicas in simili forma Brevis a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro die xvi. februarii anni MDCCXLII. pontificatus sui anno secundo expeditas peragitur, in posterum recitari possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, et indulgemus, ita ut præfatum officium recitantibus communicare insuper intendimus, et expresse volumus eas omnes indulgentias, quæ præfato ordini sunt ab hac apostolica Sede elargitæ.

Cum derogatione omnium in contrarium facientium.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Datum die 9
Julii 1769.
Anno I.

XXXVIII.

Facultas indulta confraternitati sancti Camilli de Lellis de urbe ædificandi proprium oratorium extra limites parochiæ sanctorum Simonis, et Judæ ejusdem civitatis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Commemoratur erectio confraternitatis canonice facta intra fines parochiæ a Pontifice Clem. XIII. cum conditione quod non posset a parochia discedere.

§. 1. Alias felicis recordationis Clementi pp. XIII. prædecessori Nostro pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis sancti Camilli de Lellis nuncupatæ canonice, ut asseredatur, erectæ in parochiali ecclesia sanctorum Simonis, et Judæ hujus alinæ urbis Nostræ exposito, quod occasione suæ erectionis hujusmodi seculæ au-

no MDCCXLVI. inter tunc existentem parochum dictæ ecclesiæ, et confraternitatem prædictam nonnulla pacta, et conventiones inita fuerant, ac illud præcæteris conventum existit, quod nempe quotiescumque confraternitas prædicta a loco sibi prope memoratam ecclesiam locato discedere vellet, proprium oratorium extra limites ejusdem parochiæ construere minime posset, ac in eadem expositione subjuncto, quod ob maxime auctum confratrum hujusmodi confraternitatis numerum locus prædictus admodum angustus evaserat quocirca necessarium dictæ confraternitati esset ab eo discedere, aliumque locum magis amplum, et sibi aptum, quem intra limites parochiæ hujusmodi reperire ipsa non poterat, alibi comparare, et in eo novum oratorium, aliasque sibi necessarias mansiones construere, præfata confraternitas facultatem a memorato Clemente prædecessore petiit, locum hujusmodi extra limites dictæ parochiæ juxta datam sibi a jure libertatem acquirendi, idem Clemens prædecessor die vigesima prima maji MDCCXLIII. petitionem hujusmodi ad venerabilem fratrem Dominicum patriarcham Antiochenum, et tunc archiepiscopum Nieomediensem dictæ urbis vicesgerentem remisit, ad hoc ut ipse hujusmodi rem amicabiliter componere, ac omnem controversiam inter eundem parochum, et confraternitatem prædictam propter pactum superius expressum exortam submovere curaret.

§. 2. Verum quia licet dicta confraternitas in congregatione habita die xxiii. aprilis MDCCXLIV. tunc existentes primicerium, et unum ex custodibus ad tractandum negotium hujusmodi cum opportunis facultatibus deputasset, ac præterea vi ejusmodi pacti serio perpeusa, illud propter manifestam ejus nullitatem minime obstare posse discessui confraternitatis prædictæ tunc, ut asseritur, compertum fuerit, nihilominus idem Dominicus patriarcha, et vicesgerens rem hujusmodi cum parochio amicabiliter componere minime valuit. Quocirca præfata confraternitas, quæ propter angustiam loci, in quo erecta fuerat, ut præfertur, christianæ pietatis opera ab ipsa exerceri solita, absque confusione peragere haudquaquam poterat, et facultate discedendi a loco prædicto sibi a jure tributa plurimum uti desiderabat, denuo suppliciter a memorato Clemente prædecessore petiit non solum facultatem discedendi a loco prædicto, sed etiam po-

Parochus in vim pacti recusavit discessum soliditio, quod tamen elargitum fuit ab eodem Pontifice, ut melius prospiceret decori ipsius confraternitatis.

testatem construendi alibi, et in loco sibi beneviso extra quoque limites dictæ parochiæ proprium oratorium, pacto, seu conventionione hujusmodi minime obstante, cum obligatione tamen in posterum etiam associando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in dicta ecclesia quemadmodum prius factum ab ipsa confraternitate fuerat. His itaque precibus idem Clemens prædecessor inclinatus editum fuit rescriptum, cujus tenor est qui sequitur videlicet.

Tenor rescripti.

§. 5. Ex audientia Sanctissimi diei 18. Julii 1764. = Sanctissimus, attentis expositis, benigne annuit pro libertate confraternitatis oratrici sibi comparandi alium locum etiam extra fines enunciati parochiæ sanctorum Simonis, et Judæ pro construendo oratorio, non obstante instrumento inito sub die 5. maii 1746., et quibuscumque aliis; firma tamen obligatione associandi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad formam edicti Sanctitatis suæ. = D. archiepiscopus Nicomediensis vicesgerens =.

Preces porrectæ pro obtinenda confirmatione privilegii.

§. 4. Cum autem sicuti dicti confratres Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Quæ indulgetur prævia absolute a censuris.

§. 5. Nos igitur dictos confratres specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præinsertum rescriptum, et omnia, ac singula in eo contenta auctoritate Nostra apostolica confirmamus, et approbamus, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausula præservativa.

§. 6. Decernentes easdem præsentem literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Decretum irritans.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiti debere, ac

irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona Julii millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

XXXIX.

Abrogatio veterum regularum, et confirmatio novissimarum a piis viris propositarum pro gubernio monasterii sanctorum quatuor Coronatorum de urbe.

Dat. die 26. Sept. 1769. Anno L.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Injuncti Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut ea, quæ pro salubri, prosperoque personarum religiosarum sub suavi religionis jugo vota sua Deo reddere satagentium regimine, et gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate consistant, apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, præsidio robaremus.

Proemium

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni deputati piæ domus orphanorum almæ urbis Nostræ, quod ipsi animadvertentes in monasterio monialium orphanarum sanctorum quatuor Coronatorum nuncupato, antiquas ejusdem monasterii regulas amplius exequi nunc minime posse, tam ob temporum circumstantiarum varietatem, quam propter plures alias jam inventas consuetudines hodiernæ ejusdem monasterii directioni, atque æconomico illius gubernio magis accommodatas, simulque judicantes necessariam fore aliquam communiter in eo vivendi normam, qua omne dubium, ac etiam quicumque scrupulus avertentur in respicientibus præsertim clausuram, ac obligationem plurium vocalium precum, quæ an piorum legatorum onera sint, dubitatur; qua de re pro quiete quoque conscientiarum dicti exponentes novum regularum volumen, adhibita piorum ecclesiasticorum in re hac peritorum opera, condere curarunt.

Expositio precum porrectarum pro rejectione veterum regularum, quæ cum novo monasterii statu accomodari non poterant.

Quibus novæ subrogatæ fuerant cura adhibita priorum ecclesiasticorum conscripserunt.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmiter regulæ hujusmodi subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communitur dicti exponentes plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Has pontifex confirmat regulas, et perpetuo servari mandat, derogatis prioribus.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati regulas prædictas auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, easdemque regulas a cunctis monialibus, et aliis in dicto monasterio degentibus respective, quibuscumque dispositionibus, seu legatis etiam per ultimam voluntatem relictis, ac oneribus minime obstantibus, quibus omnibus in iis, quæ prædictis regulis contraria sunt, expresse derogamus, servandas, et exequendas esse decernimus, et jubemus; atque præterea in casu, quo super interpretatione regularum hujusmodi aliqua in posterum quoad respicientia spiritualem directionem ejusdem monasterii oriatur dubitatio, illam a pro tempore existente dictorum exponentium primicerio cum participatione, et approbatione dilecti filii Nostri Flavii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Chisii nuncupati nunc, et pro tempore existentis monasterii hujusmodi protectoris definiendam esse auctoritate, et tenore prædictis statuimus, et mandamus.

Clausula præservativa.

§. 5. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scien-

ter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta septembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

XL.

Dat. die 29.
Nov. 1769.
Anno L.

Extensio trium constitutionum editarum super collatione canonicatum doctoralium, magistralium, ac pœnitentiarii pro regnis Hispaniarum ad ecclesias Sardinæ.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Emmanuelis Sardinæ regis illustris expositum fuit, quod dudum felicitis recordationis Sixtus pp. IV. prædecessor Noster per alias suas sub plumbio anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto kalendas decembris expeditas literas statuit, et ordinavit, ut canonicatus doctorales, et magistrates metropolitanarum, cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum regnorum Navarræ, Granatæ, Castellæ, et Legionis quotiescumque, et quancumque, ac in quibuscumque mensibus, et ex quorumcumque personis vacare contigissent, per Ordinarios respective locorum, una cum capitulis ca-

Pius pp. IV. mandavit ut lectio canonicorum doctoralium, ac magistratum ecclesiarum regnorum Navarræ, Granatæ, Castellæ, et Legionis semper spectaret ad Ordinarios locorum una cum capitulis previo concursu.

rundem ecclesiarum, prævio concursu, ac modo, et forma in eisdem literis specificè expressis providendi, ac electi ad huiusmodi canonicatus in eorum possessionem mittendi essent, ita tamen, ut si canonicatus huiusmodi, dum vacassent dispositioni apostolicæ ex quavis causa reservati, et affecti fuissent, ad illos pro tempore electi, atque in possessionem missi infra quatuor menses novam provisionem desuper ab hac sancta Sede impetrare, et literas expedire, ac jura Cameræ apostolicæ, aliisque propterea debita solvere tenerentur, et alias prout in eisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

§. 2. Quæ quidem omnia ab eodem Sixto prædecessore, ut præmittitur constituta, et ordinata felicis quoque memoriæ Leo pp. X. itidem prædecessor Noster per alias suas sub plumbo anno millesimo quingentesimo vicesimo primo expeditas literas approbavit, præscripsit, et ordinavit, et alias prout in eisdem secundo dictis literis, quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

§. 3. Deinde vero pro parte claræ memoriæ Philippi IV., dum vixit, Hispaniarum regis catholici piæ memoriæ Gregorio pp. XV. pariter prædecessori Nostro exposito, quod licet in omnibus, et singulis metropolitans, cathedralibus, et collegiatis ecclesiis in regnis Hispaniarum consistentibus prædicti canonicatus, et præbendæ magistras, ac doctorales ad formam earundem literarum Sixti, et Leonis prædecessorum instituti essent, et juxta earundem literarum tenorem provideri consuevissent, nihilominus canonicatus, et præbendæ pœnitentiarum absque concursu provideri solebant, quo circa optimum futurum esse, ut deinde provisiones canonicatum, et præbendarum huiusmodi, præmisso eodem concursu peragerentur.

§. 4. Idem Gregorius prædecessor supplicationibus ejusdem Philippi regis inclinatus per suas sub plumbo anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo secundo nonis novembris expeditas literas statuit, et præscripsit, ut omnes canonicatus pœnitentiarum, et præbendæ huiusmodi quarumcumque metropolitanarum, seu cathedralium ecclesiarum in regnis Hi-

spaniarum, etiam ex quavis causa dispositioni apostolicæ specialiter, et generaliter reservata, affecta, vel ad eandem Sedem devoluta (non tamen per obitum in curia apud Sedem prædictam) per Ordinarios locorum et capitula dictarum ecclesiarum, prævio concursu, ac modo, et forma in supra-memoratis literis præscripto providenda essent; eoque examine peracto, ad canonicatus pœnitentiarum, et præbendas huiusmodi vacantia illi dumtaxat ex concurrentibus, qui peracto examine, cæteris omnibus iudicio eorundem Ordinarii, et capitulorum magis habiles, et idonei reperti fuissent assumi, seu elegi, talesque assumpti, seu electi, si canonicatus, et præbendæ huiusmodi in mense apostolico vacassent, aut alias ratione personæ, vel loci generaliter, vel specialiter reservata, seu affecta fuissent, intra sex menses a die eorum collationis per Ordinarios, et capitula faciendæ, literas apostolicas novæ provisionis desuper expedire, et juxta Cameræ apostolicæ, et aliis propterea debita solvere tenerentur, ac alias prout in prædictis ejusdem Gregorii prædecessoris literis, quarum itidem tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, propter regni Sardinie vicissitudines contenta, ac disposita in præfatis literis editis eo tempore, quo regnum huiusmodi aliis Hispaniarum regibus unitum reperiebatur, postmodum in eodem Sardinie regno propter forsan earundem literarum oblivionem executioni demandata non fuerint, et nonnulli venerabiles fratres moderni episcopi prædicti regni earundem literarum executionem restituere, ac reintegrare curantes, canonicatus theologales, et pœnitentiarum juxta formam in eisdem literis præscriptam contulerint, ac ita electi, et provisores eorundem canonicatum possessionem adepti sint.

§. 6. Hinc ne in posterum ullo nunquam tempore super modo, et forma conferendi canonicatus theologales, et pœnitentiarum metropolitanarum, cathedralium, et collegiatarum regni Sardinie huiusmodi quæstio, aut dubitatio aliqua suboriri, aut excitari possit, ipse Karolus Emmanuel rex memoratas eorundem Sixti, Leonis, et Gregorii prædecessorum literas canonicatus theologales, et pœnitentiarum in metropolita-

Dubium exortum, an privilegium extendi posset ad ecclesias regni Sardinie, quod regnis Hispaniarum unitum reperiebatur, tempore concessionis.

Et ut dubitatio quælibet eliminaretur nova indulgentiarum prorogatio expostulatur.

Et privilegium fuit a Pontifice Leone X. confirmatum.

Et privilegium extendi etiam ad canonicatus et præbendas pœnitentiarum Hispaniarum rex imperavit.

Et precibus annuit Gregorius XV. excepto casu obitus in curia apud sanctam Sedem.

nis, cathedralibus, et collegiatis ecclesiis regni Sardiniae hactenus institutos, et in posterum respective instituendos comprehendere a Nobis declarari, et, quatenus opus sit, easdem literas ad canonicatus, et praebendas hujusmodi praedicti Sardiniae regni extendi, et ampliari plurimum desideret.

Et extensio privilegiorum tribuitur, ex quoquisito voto sac. congregationis Concilii.

§. 7. Nos ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, nec non praedictarum Sixti, Leonis, et Gregorii praedecessorum literarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum, ut praefertur, pro insertis habentes, supplicationibus dicti Karoli Emmanuelis regis nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita super praemissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petrensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, et ex specialibus causis mentem Nostram digne moventibus, canonicatus, et praebendas theologales, et poenitentiarum metropolitanae, cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum regni Sardiniae sub statutis, et ordinationibus contentis in memoratis literis eorundem Sixti IV., Leonis X., et Gregorii XV. praedecessorum Nostrorum comprehensas esse auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus, ac, quatenus opus sit, eadem statuta, et ordinationes ad praedictos canonicatus, et praebendas theologales, et poenitentiarum ecclesiarum regni Sardiniae hujusmodi auctoritate, et tenore praedictis extendimus, et ampliamus; eosdemque propterea canonicatus, et praebendas, quotiescumque eos, et eas vacare contigerit, praevio concursu per edictorum affixionem, prout in praefatis literis praescribitur, coram Ordinariis locorum, et respective ecclesiarum capitulis habendo perpetuis futuris temporibus conferri debere pari auctoritate, et tenore statuimus, et mandamus, ita tamen, ut ad episcopos privative pertineat inter oppositores iudicium majoris idoneitatis proferre, solo iudicio consultivo capitulis reservato.

Præcipitur tamen ut electi intra sex menses literas apostolicas expedire teneantur si vacatio obvenit in mense apostolico, vel alia ratio.

§. 8. Volumus autem, quod si canonicatus, et praebendae hujusmodi in mense apostolico vacarent, aut alias ratione personae, vel loci generaliter, vel specialiter Sedi apostolicae reservati, seu affecti fuerint, electi ab Ordinariis locorum intra sex menses a die eorum

electionis novam desuper a Sede praedicta provisionem impetrare, et literas apostolicas expedire, ac jura Camerae apostolicae, et aliis propterea debita solvere omnino teneantur; in reliquis vero omnibus formam, et dispositionem praefatarum ejusdem Sixti IV., et dictorum Leonis X., et Gregorii XV. servandam esse volumus, et jubemus.

§. 9. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod causae propter quas emanarunt quomodolibet examinae, justificatae, purificatae, et approbatae, ac Ordinarii, capitula, et alii collatores, nec non quicumque interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, vel alio quocumque praetextu, aut ex quavis alia causa quantumvis legitima, urgenti et juridica de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus ea quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a Nobis, et quibuscumque aliis romanis Pontificibus successoribus Nostris, et dicta Sede etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine pro tempore emanatis comprehendere, sed semper ab illis exceptis, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant statutum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub data posteriori per interesse habentes, vel per archiepiscopos, episcopos hujusmodi pro tempore eligenda concessas, validasque, et efficaces fore, et esse, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri, et ab omnibus inviolabiliter observari.

§. 10. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, aut Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apo-

ne Sedi apostolicae esset reservata nominatio ad provisiones hujusmodi.

Mandatur ne adversus literas praesentes vitium obreptionis, vel subreptionis excipi possit, illarumque decernitur observantia.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

stolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vicesima nona novembris millesimo septingentesimo sexagesimo nono, pontificatus Nostri anno primo.

XLI.

Dat. die v.
Januarii 1770.
Anno I.

Translatio celebrationis festivitatis sancti Joannis Nepomuceni pro confraternitate in villa Versaliarum Parisiensis diocesis erecta.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Cælestium munerum thesauros, quarum dispensationem inscrutabilis divinæ sapientiæ, ac bonitatis altitudo humilitati Nostræ commisit, fideliter erogare cupientes, vota sublimium personarum non minus pietate, aliisque christianis virtutibus, quam præclaris suis, suorumque majorum illustrium orthodoxæ fidei cultorum, et propagatorum meritis fulgentium favoribus, et gratis libenter prosequimur, sicut ad augendam in terris sanctorum in cælis cum Christo regnantium venerationem, necnon ad personarum earundem spirituales consolationem, et commoditatem expedire in domino arbitramur.

§. 2. Dudum sane, sicut nuper accepimus clar. mem. Maria, dum vixit, francorum regina christianissima ea qua pollebat insigni pietate, et singulari erga sanctum Joannem Nepomucenum veneratione, unam in ejus honorem christifidelium feminei sexus confraternitatem in ecclesia fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia Recollectorum nuncupatorum in villa Versaliarum Parisiensis diocesis canonice institui curavit, ac regia plane liberalitate dotem, seu fundum, quo solemniori pompa in ecclesia prædicta die festo ejusdem sancti Joannis anno quolibet officium, aliæque divina peragenda essent, vere laudibus digna munificentia constituit.

Francorum regina confraternitatem feminei sexus sub invocatione sancti Joannis Nepomuceni arexit.

§. 3. Præterea vero ipsa Maria regina vivens nomen eidem confraternitati primum dedit, moriendo autem dilectissimis filiabus regis galliarum principissis natis suis id unum præcipue quam maxime commendavit, suumque desiderium illis enixe patefecit, ut non solum in earum specialem protectorem dictam sanctum Joannem sibi eligere vellent, sed etiam quotannis die illius festo in ecclesia prædicta solemnibus, divinisque officiis interesse deberent.

Et vivens eadem confraternitati nonnulla dedit, optavitque etiam ut eligeretur idem sanctus Joannes in protectorem familie, die festo celebrato.

§. 4. Piis itaque maternis votis hujusmodi pari eximia, ac sibi ingenua pietate obsequi volentes regis galliarum principissæ prædictæ, et simul considerantes, quod non quidem in eadem villa Versaliarum, sed alibi una cum regia aula mense majore cujuslibet anni ipsæ, ut plurimum reperiuntur, eaque de causa ad memoratam ecclesiam se conferre, ibique divinis, solemnibusque officiis interesse minime possunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut celebrationem ejusdem festivitatis sancti Joannis quoad memoratam confraternitatem una cum plenaria indulgentia alias eidem confraternitati, suisque consorioribus concessa a die xvi. maii ad diem xvi. septembris, quo regia aula in villa prædicta morari solet, transferre, ac sibi in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ut comodius maternis votis fierent satis filis implorantur translationem celebrationis festivitatis jam pro eadem confraternitate statuta die 16 maii cujuslibet anni.

§. 5. Nos igitur earundem vere singularem pietatem plurimum in Domino commendantes, ac votis hujusmodi libenti animo annuere volentes, ipsarumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte

Et translationem concedit Pontifex ad diem 16 septembris cum solitis indulgentiis.

incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, celebrationem festivitatis ejusdem sancti Joannis Nepomuceni quoad confraternitatem prædictam una cum plenaria indulgentia eidem confraternitati, illiusque consorioribus, ut præfertur, concessa a die xvi. maji cujuslibet anni ad diem xvi. septembris; quo in eadem ecclesia missa, et officium eodem ritu, quo prius juxta rubricas breviarii, et missalis romani die xvi. maji prædicto celebrabantur, celebrari, et eandem plenariam indulgentiam consequi respective possint, et valeant, servata in reliquis apostolici indulti forma, et dispositione, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo transferimus. **Ita** contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda Januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XLII.

Dat. die 10.
Januarii 1770.
Anno I.

Religiosos sancti Pauli primi eremitæ ad ordinem monachorum pertinere declaratur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quantum deceat, ut quilibet religiosorum ordo propria nuncupatione distinguatur, exponitur.

§. 1. **Q**uemadmodum in triumphanti ecclesia chori angelorum diversis nominibus nuncupantur, et distinguuntur, ita et in hac militanti, cni divina dispositione præsidemus, admodum conveniens dignoscitur, ut ii, qui sub suavi religionis jugo mancipati in diversis ordinibus honorum operum fructus proferre jugiter satagunt, propria nuncupatione suo cuique ordini accommodata vocentur, et distinguantur. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuit dilectus filius Paulus Eszterhazy prior generalis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitæ nunquam usque adhuc declaratum fuerit, in qua regularium ordinum classe, an scilicet canonicorum, seu potius monachorum suus ordo hujusmodi recenseri debeat, quippe quia juxta ejusdem ordinis statuta, et constitutiones apostolica auctoritate confirmatas cautum reperitur, ne ulli tam subditorum, quam superiorum

liceat ostiatim, aut per pagos mendicare, ex quo nonnulli putarunt ejusdem ordinis professores, qui mendicare nequeunt, et regulam sancti Augustini servant, non jam inter mendicantes, sed inter canonicos regulares ejusdem sancti Augustini regulam præfatam profitentes connumerandos esse. Verum quia ipsorum institutum magis monastico vivendi modo videtur congruere, dum ejusdem ordinis primi fundatores contemplationi, et solitario, ac communi vivendi modo operam dederunt, quamvis ædificationi, et exemplo populorum se exhibere minime neglexerint, et monachi deinde ejusdem ordinis professores re ipsa a fel. record. Bonifacio IX., et Gregorio XIII. romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri nuncupati fuerunt, ipseque Bonifacius privilegia, et indulgentias monachorum ordinis Carthusiensis eidem elargitus fuit, idque postmodum Martinus pp. V. pariter prædecessor Noster approbavit, et confirmavit; quocirca dictus exponens ordinem sancti Pauli primi eremitæ monasticum esse per Nos declarari summopere desideret.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita relatione super præmissis venerabilis fratris Francisci archiepiscopi Patracensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum secretarii, fratres sancti Pauli primi eremitæ ad ordinem monachorum pertinere, auctoritate apostolica, tenore præsentium declaramus, atque statuimus; salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviola-

Inter monachos regulares recensetur ordo s. Pauli primi eremitæ

Decretum pro observantia constitutionis.

biliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices, ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus supet his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis huiusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu procuratoris generalis ejusdem ordinis subscriptis, et illius sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die x. januarii MDCCLXX. pontificatus Nostri anno primo.

§. 2. Idcirco Nos conservationi, et manutentioni librorum huiusmodi opportune prospicere, ipsumque exponentem specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter prorectis inclinati, omnibus, et singulis personis quacumque auctoritate, et superioritate fungentibus, et functuris, ac cujusvis status, gradus, et conditionis, ac præeminentiæ, et dignitatis nunc, et pro tempore existentibus, ne ullo unquam tempore libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta eidem bibliothecæ hactenus donata, et assignata, seu in posterum assignanda, et donanda, e bibliotheca huiusmodi extrahere, commodare, seu asportare, vel, ut commodentur, aut extrahantur, seu asportentur permittere, aut consentire, sub quovis prætextu, quæsito colore, causa, ingenio quoquo modo audeant, seu præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ per contrafacientes eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo absolutionis beneficium nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus obtinere queat, pœna, auctoritate apostolica, tenore præsentium prohibemus, et interdicimus.

Extractio prohibetur sub poena excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ bibliothecæ, aut in aliquo alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni, et legi possit, continuo affixum remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 10.
Januarii 1770.
Anno I.

XLIII.

Prohibitio extrahendi libros, quos familia Schomborn in sua bibliotheca asservat in castro de Gaybach Herbipolensis diœcesis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **C**um sicut dilectus filius comes Ervitus de Schomborn Herbipolensis, seu alterius civitatis, vel diœcesis Nobis nuper exponi fecit ejus familia publicam, et avitam bibliothecam in castro de Gaybach Herbipolensis diœcesis possideat, vereatur autem, ne tractu temporis libros ejusdem bibliothecæ hinc inde asportando deperdi contingat.

Publica est bibliotheca, quam possidet familia Schomborn ideo cavendum ne libri ab ea extrahantur.



Dat. die 10.
Januarii 1770.
Anno I.

XLIV.

Dismembrantur duæ provinciæ ordinis minorum sancti Francisci de Observantia a familia Ultramontana ejusdem ordinis, et familiæ Cismontanæ ejusdem pariter ordinis restituantur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Antiquitas hinc familie ordinis s. Francisci de observantia extabant, quarum altera Cismontana, altera Ultramontana nuncupabatur et regebantur una a ministro generali, altera a commissario generali.

§. 1. Decet ea, quæ provide olim constituta fuerunt, mutatis deinde rerum circumstantiis, ad antiquum statum restituere, idque potissimum ubi sublimium personarum de apostolica Sede bene meritarum vota ita exposcant, et Nos in Domino conspicimus expedire. Dudum siquidem quemadmodum Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Paschalis a Varisio minister generalis ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, pesteaquam in dicto ordine constitutio duarum familiarum Cismontanæ nempe, et Ultramontanæ, quarum una a ministro generali, et alia a commissario generali familiæ gubernarentur, secuta jam fuerat, duæ provinciæ ordinis de Observantia hujusmodi in regno Sardinie existentes ab anno usque MDLXXXI. familiæ Cismontanæ dicti ordinis addictæ extiterunt.

Cum vero Sardinie regnum occupatum fuit a rege catholico ipse familiæ unitæ fuerant alteri familiæ Ultramontanæ, cum onere observandi statuta, et constitutiones illius.

§. 2. Verum quia tunc Sardinie regnum sub dominio catholicorum regum Hispaniarum reperiebatur, hinc instante clar. mem. Philippo II. earumdem Hispaniarum, dum vixit, rege catholico, memoratæ duæ provinciæ alteri Ultramontanæ familiæ attributæ tunc fuere, onere injuncto, ut propria statuta, et constitutiones ejusdem Ultramontanæ familiæ in eisdem duabus provinciis exequi, et observari deberent.

Post recuperationem regni Sardinie facta a Karolo Emanuele necessaria iterum evasit dismembratio familiarum hujusmodi, ut quælibet suo superiori subiciat.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dominium regni Sardinie hujusmodi in carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Emmanuelem ejusdem Sardinie regem illustrem postmodum devenerit, ipse vero Karolus Emmanuel rex duarum provinciarum hujusmodi restitutionem Cismontanæ familiæ prædictæ, earumque subjectionem illi superiori generali sive ipse minister, sive commissarius generalis existat, una cum onere observandi statuta, et constitutiones ejusdem Cismontanæ familiæ per Nos concedi plurimum desideret.

§. 4. Nobis propterea dictus exponens humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Karoli Emmanuelis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere, ipsumque exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas duas provincias ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Sardinie regno existentes, et olim familiæ Cismontanæ ejusdem ordinis addictas, et ab ea postmodum separatas, et Ultramontanæ familiæ prædictæ, ut præmittitur, attributas, a dicta Ultramontana familia auctoritate apostolica tenore præsentium segregamus, sejungimus et separamus, atque easdem duas provincias sic segregatas, et a præfata Ultramontana familia sejunctas, ac separatas memoratæ Cismontanæ familiæ auctoritate, et tenore prædictis restituimus, et cum eadem familia Cismontana denuo, ac perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Et preces obsecundans regis Karoli Emmanuelis iterum Pontifex dismembrationem indulget.

§. 5. Qua attenta restitutione, annexione, et incorporatione, statuta, et constitutiones apostolica auctoritate confirmata, et quæ ejusdem Cismontanæ familiæ propria sunt, in duabus provinciis quoque prædictis inviolabiliter, ac perpetuo ab omnibus observanda, et exequenda esse eisdem auctoritate, et tenore volumus, præcipimus, et mandamus.

Et in vim dismembrationis statuta, et constitutiones communia utrique familiæ redduntur.

§. 6. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula præservativa.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio con-
trariorum.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis; ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XLV.

Datum die 11
Januarii 1770
Anno I.

Confirmatio decreti episcopi Vicensis editi super præcedentia in sedendo, et incedendo in ecclesia, et functionibus inter agricolas, et incolas oppidi de Voltrega dictæ diocesis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Status qua-
estionis præce-
dentis inter
agricolas, et
incolas.

§. 1. **P**acis cultores a Domino constituti ea, quæ ad pacem fovendam, atque controversiarum, jurgiorumque semina a sacris præsertim ædibus eliminanda provide decreta fuisse noscuntur, apostolicæ auctoritatis munimine, dum id a Nobis petitur, libenter roboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prætor, seu bajulus, ac decuriones oppidi de Voltrega nuncupati Vicensis diocesis, quod cum venerabilis frater episcopus Vicensis agricolis proprietariis dicti oppidi, eorumque uxoribus, ac filiis prærogativas, et præeminentias sedendi, atque incedendi in omnibus actibus, functionibusque ecclesiasticis

Bull. Rom. Tom. IV.

explendis intra, et extra ecclesiam parochialem dicti oppidi supra cæteros incolas, et oppidanos addixisset vigore consuetudinis, iudiciumque hujusmodi a Rotæ Romanæ auditorio usque ad rem judicatam confirmatum fuerit; mox idem episcopus comperiit fomentum dissectionum ex usu harum præeminentiarum inter prædictos incolas et agricolas insurgere, unde odia, jurgia, et scandala etiam in æde sacra poterant vereri.

§. 2. Ad omnia igitur malorum semina penitus evellenda idem episcopus annuens precibus sibi porrectis a prædictis prætore, seu bajulo, ac decurionibus totum oppidum hujusmodi representantibus, cum opportuna se præbuerit occasio constructionis novæ ecclesiæ parochialis dicti oppidi, quæ nunc, veteri collabescente, parochianorum sumptibus ædificatur, optimo quidem, ac laudabili zelo, ac consilio die xxiii. novembris superioris anni MDCCCLXIX. ipse decretum conscripsit, quo reservata tantum, seu verius concessa agricolis prædictis facultate retinendi scamnum ad sedendam in nova ecclesia, et salva reverentia venerandæ senectutis, abrogavit, et substituit quoscumque consuetudines præcedendi quæ vigerent, et vigeant inter eosdem agricolas, et incolas sive in sedendo, sive in incedendo, et generaliter inter quascumque in memorata nova ecclesia in omnibus actibus, et functionibus ibidem explendis, sive festivis, sive funebribus, atque insuper voluit, et jussit, ut in dicta nova ecclesia nulli amplius esset jus aliis præcedendi, sed omnes æquales fore oportere ad opus charitatis, sicuti æquales sunt in conspectu Domini, imposita contravenientibus pœna pecuniaria quinquaginta librarum monetæ Barchinonensis in usus ipsius ecclesiæ applicandarum; graviorique etiam coercitione in perveritas comminata, et alias prout ex eodem decreto, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet.

§. 3. Pæspecto contextu hujusce supplicationis, quæ sane per jucunda Nobis est, quod per vestram bonæ fidei conventionem lites, et quæstiones, quæ passim ex ambitione præcedendi exoriuntur, seu uno recensentur ictu: quo profecto nihil religiosius, ut fraternalis charitas, jamdudum inter vos tepescens, iterum perpetuo ferveat.

§. 4. Ideo, vestris libenter votis annuentes per præsentem cassamus, et annullamus quascumque, quæ super præ-

Jurgia, et scandala removit episcopus abrogans quamcumque consuetudinem sub aliquibus reservationibus.

Tenor decreti bonis moribus, et christianæ charitati valde proficuum.

Abrogantur omnes præcedentis.

cedentia inter vos, et etiam feminas istius paræciæ vigerint consuetudines, sive in sedendo, sive in oblationibus faciendis in ecclesia in quacumque functione festiva, aut fœnebris; adeo, ut post absolutam novam fabricam parochialis templi, sicut coram Domino omnes æquales estis, sic esse æquales ad opus charitatis volumus persuasum iri: salvo nihilominus agricolis jure sibi quæsito iudicio contradictorio parandi scamnum unum ad sedendum, et salva reverentia venerabilis senectutis.

§. 5. De cætero nulli in posterum licebit in ipsa ecclesia scamnum sibi parare, nec super alios præcedentiam ambire: quod si secus fiet ipso facto contraventorem condemnamus ad solutionem quinquaginta librarum Barchinensium, semota qualibet appellatione, in comparandis utensiliis ad usum ecclesiæ invertendarum, et in subsidium pernicaces compescemus.

§. 6. Et ut magis hoc nostrum decretum a vobis voluntarie expetitur, roboretur, etiam vobis permittimus adire ad Sanctissimum, vel ad sacras ejus congregationes, et ibi confirmationem ejusdem petere. Attamen, habita confirmatione, vobis injungimus, ut statim decretum confirmatum Nobis afferatis, ut in actis nostræ curiæ transcribere illud faciamus. Datum Vici in nostro palatio episcopali die vigesima tertia mensis novembris anni millesimi septingentesimi sexagesimi noni = Fr. Bartholomæus episcopus Vicensis.

§. 7. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratiâ absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 8. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere,

ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, ac synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac dictæ parochialis ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem die decima prima januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Omnibus iudicibus aliter iudicandi sublatâ potestate.

Et cum derogatione contrariarum.

Nulli propterea in posterum reservetur jus de præcedentia decernendi.

Pro majori firmitate decreti conceditur ut adeatur Sanctissimus pro illius confirmatione.

Preces porrectæ pro decreti confirmatione, quam indulget Pontifex prævia absolute a cœnariis.

Præcipitur perpetua observantia in his decretis, et pontificæ confirmationis.

XLVI.

Datum die 17
Januarii 1770.
Anno L.

Immunitio festorum pro hominibus abbatie Guastallæ nuncupatæ nullius diœcesis.

Venerabili fratri episcopo Parmensi.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut

De potentia sanctæ Sedis variandi ea quæ nec præceptis evangelicis contraria,

nec sanctorum Patrum decretis inveniantur adversa.

pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniantur adversum. Ea propter hæc apostolica sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis interponere auctoritatem, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientie angore contemnuntur.

Nimis ampliatius dierum festorum numerus, potius in detrimentum convertitur eorum qui in sudore vultus panem comedere coguntur.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Tirelli moderni abbatis abbatie oppidi civitatis nuncupate Gaastallæ nullius diocesis, Nobis nuper expositum fuit, quod in abbatia hujusmodi, illiusque territorio adeo excreverunt calamitates, et angustie propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se adicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excrementum dierum festorum numerum. Ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ideoque ad designatas præcipuas festivitates, omnes restringitur servandi præceptum, in minoribus vero præcipitur unum ut missæ sacrificio christifideles præsent.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem Ecclesie disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, qui, ut asseritur, Ordinarius vicinior existis, per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicto oppido, aliisque locis

Bull. Rom. Tom. IV.

abbatiae hujusmodi existentibus, ut deinceps omnibus diebus dominicis, nec non paschatis resurrectionis, et immediate duobus sequentibus, ac pentecostes, nec non nativitatis Domini nostri Jesu Christi, circumcisionis, epiphaniæ, ascensionis, corporis Christi, ac purificationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis, et conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ, sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, ac omnium sanctorum, et sancti Josephi, ac nativitatis sancti Joannis Baptistæ festivis diebus, nec non sancti patroni, et tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem abbatie, in quibus dumtaxat diebus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus præceptis, præscriptisque (audita missa) laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientie scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non abbatie prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vicesima septima januarii MDCCLXX., pontificatus Nostri anno primo.

Cum derogatione omnium constitutionum etiam in generalibus conciliis editarum.

Datum die 21.
Januarii 1770.
Anno I.

XLVII.

Eminentissimo cardinali decano committitur, ut salva auctoritate congregationis cardinalium præpositæ negocijs episcoporum, et regularium, erigat duas provincias ordinis sancti Francisci Cappuccinorum Coloniensis et Westphalicæ nuncupatorum.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Evincitur necessitas dismembrandi duas custodias Coloniensem, et Westphalicam, et erigendi illas in separatas provincias.

§. 1. Commissi Nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut religiosorum virorum statui, et quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii fratres ordinis sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum custodiæ Westphalicæ provinciæ Coloniensis dicti ordinis, provincia hujusmodi in duas custodias Coloniensem, et Westphalicam respective nuncupatas divisa reperitur; hinc propter ejusdem provinciæ amplitudinem, ac nimiam distantiam locorum, nec non difficultatem, asperitatemque viarum, quæ inter unam alteramque custodiam intercedunt, et ob plurimum auctum numerum fratrum, ac conventuum in utraque custodia prædicta, necessaria redditur erectio utriusque custodiæ hujusmodi in separatas provincias, ut ita observantia regularis disciplinæ in unaquaque custodia magis florescat, fratribusque tollatur incommodum longiorum peregrinationum pro accessu ad capitulum provinciale, simulque adimatur occasio dissidiorum inter alumnos utriusque custodiæ hujusmodi.

Dismembrationi antequam capitulum generale, etiam cum voto episcoporum dioecesium in quibus conventus positi reperiuntur.

§. 2. Quamvis autem instantia hujusmodi separationis in duas provincias proposita fuerit in proximo præterito capitulo generali ejusdem ordinis, annuentibus etiam venerabilibus fratribus episcopis Paderbonensi, et Ildesiensi, in quorum diocesisibus maxima ex parte siti sunt conventus dictorum exponentium, placuit tamen capitulo generali hujusmodi instantiam remittere capitulo provinciali proxime celebrando, ut collectis suffragiis omnium vocalium referret, an revera exposita necessitas subsistat, et num aliquod impedimentum subsit, quod huic divisioni obstaculum ponere valeat; quia vero sicut eadem expositio subjungebat, prædictum capitulum provinciale constat ma-

jori numero vocalium custodiæ Coloniensis, et præmissorum veritas, divisionisque hujusmodi necessitas probatur eorumdem episcoporum testimonio, ac divisioni huic venerabilis etiam frater archiepiscopus Coloniensis S. R. imperii princeps, et elector, in cujus diocesi, ut plurimum, siti sunt conventus Cappuccinorum custodiæ prædictæ Coloniensis, suum præstat assensum; hinc dicti exponentes, non expectato dicti provincialis capituli consensu, præfatum divisionem per Nos fieri, et utramque custodiam in duas separatas provincias erigi, singulisque suos terminos assignari plurimum desiderant.

§. 3. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositæ, qui dilectum filium modernum procuratorem, et commissarium generalem dicti ordinis super præmissis audiverunt, et votum venerabilis fratris Nostri Karoli Alberti episcopi Ostiensis, et Veliternensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Cavalchini nuncupati sacri venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegii decani, et ejusdem ordinis apud Nos, et apostolicam sanctam Sedem protectoris attenderant consilio, definitorio generali memorati ordinis per præsentes committimus, et mandamus, ut deputet commissarium, et visitatorem, qui auctoritate apostolica in proximo futuro capitulo provinciali, præmonitis vocalibus, et omnibus juxta sibi datam a Domino prudentiam dispositis pro felici, et tranquillo successu, ad petitam provinciæ hujusmodi divisionem auctoritate Nostra prædicta tenore præsentium procedat, singulasque custodias ejusmodi in novas separatas provincias erigat, ac novæ utriusque provinciæ divisæ conventus, domos, et hospitia respective as-

Ideoque et pontificia imploratur auctoritas, ut opportuno provideret. Pontifex autem facultates necessarias tribuit cardinalium decano, ut verificatis verificandis rei necessitati, ut sibi melius videbitur consulere possit.

signet, et confinia statuat, et cætera, quæ ad hujusmodi divisionem, novamque erectionem fieri opus erit, decernat, cum omnibus facultatibus ad id necessariis, et opportunis, eisdemque divisione, et nova erectione secutis, provinciales, et definitores singularum provinciarum a vocalibus cujuslibet respective novæ provinciæ in eodem capitulo eligi mandet, aliaque peragi, quæ in similibus capitulis provincialibus solent expediri, auctoritate, et tenore prædictis statuat, atque præscribat. Salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

Præcipitur vero hujus constitutionis perpetua observantia.

§. 4. Decernentes ipsas præsentem literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Etiam cum clausula subla, et decreto irritanti.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et cum derogatione contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XLVIII.

Datum die 22.
Januarii 1770.
Anno I.

Confirmatio trium decretorum definitorii generalis ordinis fratrum sanctissimæ Trinitatis quoad modum canendi, et prærogativas lectorum.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**x injuncti Nobis divinitus Proemium. pastoralis officii debito illa, quæ pro felici eorum, qui altissimis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipati sunt, regimine, et gubernio provide, prudenterque facta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistent, libenter, cum id a Nobis petitur apostolici muniminis Nostri præsidio roboramus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus minister generalis nomine etiam definitorii generalis familiæ extra Hispanæ ordinis fratrum sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum discalceatorum nuncupatorum, quod aliæ ejusdem ordinis constitutiones a felicitis recordationis Clemente pp. X. prædecessore Nostro, aliæ vero a rec. mem. Clemente pp. XII. prædecessore itidem Nostro per suas in simili forma Brevis die secunda augusti MDCCXXXVIII. expeditas literas confirmatae fuerunt, quarum, primæ antiquæ, secundæ vero novæ appellantur; temporum itaque decursu, et propter rerum vicissitudines cum hujusmodi constitutiones quoad nonnulla respicientia universale gubernium ejusdem ordinis, ac præsertim familiæ extra Hispanæ mutationem exigent, hinc semper in capitulis generalibus ordinis prædicti propter illarum ambiguitates, et propter ea, quæ in ipsis inter se implicantia erant, controversiæ suboriebantur, dum potius familiæ Hispanæ, quam reliquis provinciis, ac potissimum septentrionalibus accommodatæ comperirentur. Quocirca in postremo capitulo generali dicti ordinis habito anno MDCCLXV. in civitate Barchinonensi pro feliciore ordinis hujusmodi moderatione, et gubernio statutum fuit, ut ab apostolica hac sancta Sede petenda, et obtinenda esset facultas, qua definitoria generalia tam Hispanæ, quam extra Hispanæ familiæ constitutiones prædictas emendare, corrigere, et accommodare possent, ac valerent, prout sequenti anno MDCCLXVI. id a Sede

Expositio precum porrectarum pro obtinenda facultate corrigendi, et emendandi quasdam constitutiones editas a Clemente X. et confirmatas a Clemente XII. pro gubernio ordinis.

prædicta, ut asseritur, indultum fuit. Et si vero generalia definitoria prædicta tam in oppido civitate nuncupata *Matri* Toletanæ diœcesis, quam in civitate *Viennensi* in *Austria* hac de causa eodem tempore se deinde congregaverint, auditisque ejusdem ordinis provinciis plurimum laboris insumpserint, opus tamen hoc propter ejus magnitudinem, rerumque circumstantias ad optatum finem perducere minime valuit. Verum quia nonnulla sunt, quæ quoad familiam extra *Hispanam* admodum urgentia dignoscuntur, ac promptum remedium exoptant; hac de re definitorium generale habitum in collegio *Viennensi* die vi., aliisque sequentibus diebus mensis novembris superioris anni *MDCCLXIX.* tria condidit capitula quoad modum in posterum canendi, et quoad lectores sacrorum canonum, concionatores annuales, et qualitates, ac gradus requisitos in eligendis ad prælaturas, et ordinis hujusmodi officia, ac demum quoad tempus peragendi curricula studiorum, quorum capitulorum tenor est, qui sequitur videlicet.

Tenor decreti definitorii generalis super modo corrigendi, et accomodandi prædictas constitutiones.

§. 3. Benedicta sit sancta Trinitas = *Decretum* nostri definitorii generalis ordinis discalceatorum sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum, celebrati in nostro collegio *Viennensi*, provinciæ sancti *Josephi*, die sexta, et sequentibus mensis novembris anni 1769. = Tametsi auxiliante sanctissima Trinitate demum eo perventum est, ut conformiter ad decretum nostri ultimi generalis capituli *Barchinonensis*, collatumque desuper indultum apostolicum, gemina nostra definitoria generalia, nempe tam ordinis, quam familiæ, auditis non tantum omnibus religiosis in qualibet provincia ad id deputatis, sed et præterea cunctis utriusque familiæ definitoriis provincialibus, tandem mutuo consensu emendaverint, noviterque ordinarint generales constitutiones nostri ordinis; quia vero postmodum ex una parte nihilominus aliquæ novæ circumstantiæ suadebant adhuc dum supersederi ab illis sanctæ Sedi apostolicæ pro obtinenda confirmatione præsentandis, atque ex alia parte perurgent multi graviores viri nostræ familiæ extra *Hispanæ*, matris *Redemptoris* nuncupatæ, ut saltem ea puncta interim firmentur apostolico oraculo, quæ tam pro modernis ejusdem nostræ familiæ circumstantiis, quam ad rite dirimendas in capitulis provincialibus, aliisque congregationibus nostris non infrequentes controversias, censentur ap-

prime necessaria, et aliunde fuerunt aut ab utraque familia in prædictis noviter emendatis constitutionibus citra omnem difficultatem recepta, aut in anterioribus capitulis generalibus ordinis, *Liburnensi*, et *Mediolanensi*, imo et ultimo *Barchinonensi*, probata videlicet.

§. 4. Primo. Quoniam cautus planus, absque omni modulatione, et harmonia, quemadmodum in nostris antea constitutionibus præscribatur, est tam nostris religiosis, quam christifidelibus ad nostras ecclesias accedentibus, valde tædiosus, ac propterea in provinciis nostræ familiæ extra *Hispanæ* adeo nunquam fuit observatus, ut in iis quidem ecclesiis nostris, quæ simul parochiales sunt, insuperque multis aliis dudum invaluerit cantus firmus ecclesiasticus, vulgo *Gregorianus*; in reliquis autem fiant modulationes, vocisque inflexiones admodum variæ, ac mirabiles, quæ christifideles potius ad risum, quam ad devotionem movent: idcirco ad majorem in tota eadem familia Deum laudandi uniformitatem, populi fidelis ædificationem, imo ad propriorem quoque adimpletionem nostræ regulæ, quæ cap. II. jubet, in regularibus horis morem *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* observari; posthac in præfata nostra tota familia ubique adhibeatur cantus cæteroquin in universa *Dei Ecclesia* receptus, nempe firmus ecclesiasticus, seu choralis *Gregorianus*, in cantandis tam missis, quam horis canonicis, aliisque functionibus per nostram legem concinendis etc.

Reformatio proposita in cantu habendo in sacris functionibus.

§. 5. Secundo. Lectores sacrorum canonum, de quibus plene tacebant nostræ antea constitutiones, quoad graduationes ad prælaturas ordinis, sint æquales lectoribus theologiæ: uti, et concionatores dominicales ordinarii, qui per quadriennium prædicarunt ex una duarum cathedrarum, quas unumquodque capitulum provinciale pro sua respectiva provincia designaverit, gaudeant eadem graduatione, quam constitutiones antiquæ tribuunt concionatori, qui tribus quadragesimis prædicavit. Cæteris autem omnibus, usque dum novæ constitutiones fuerint satis emendatæ, et ab sancta Sede apostolica confirmatæ, interim sufficiant annitum ætatis, cum religionis, uti et graduationes, aliaque, ad obtinenda quædam officia, et quascumque prælaturas ordinis, petita ex dictis constitutionibus antiquis etc.

Consultur lectoribus sacrorum canonum quoad graduationes ad prælaturas ordinis de quibus constitutiones tacebant.

Consultur praeriter studiis literarum.

§. 6. Tertio. Ad facilius regulanda, et apud nos promovenda quævis literarum studia, possit generale definitorium ex memorata extra-Hispana familia assumptum ea statuere, quæ ad id pro diversis provinciarum suarum circumstantiis, judicaverit esse magis conducibilia etc.

Ea propter nostrum generale ordinis definitorium celebratum in nostro collegio Viennensi Austriæ provincie sancti Josephi, die sexta, et seqq. mensis novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo nono, sessione VII. committit P. F. Michaeli a sancto Francisco de Paula, procuratori generali ordinis nostri, ut supradicta tria puncta quantocyus præsentet sanctæ Sedi apostolicæ, atque ab ea interim pro sola dicta nostra familia confirmari, nomine, et commissione hujus nostri generalis definitorii suppliciter exoret. In finem propriis manibus subscripsimus in hoc eodem regulari nostro sanctissimæ Trinitatis collegio Viennensi Austriæ, fecimusque sigillo præfati nostri definitorii generalis firmari die decima sexta mensis novembris anni millesimi septingentesimi sexagesimi noni. = Fr. Rodolphus a sancto Joanne Nepomuceno minister generalis. = Fr. Ignatius ab omnibus sanctis definitor generalis ordinis secundus manu propria = Loco ✕ signi = Fr. Xaverius a sancto Joanne Nepomuceno definitor generalis ordinis, ejusdemque definitorii secretarius.

§. 7. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus exponens, ut capitula hujusmodi, donec, et quousque novæ constitutiones exarata, et ab apostolica Sede prædicta confirmata fuerint, firmiter subsistant, et serventur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta tria capitula a memorato definitorio generali, ut præfertur, edita, cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate

Nostra apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque in eis disposita, et mandata, usquequo prædictæ constitutiones ordinis hujusmodi correctæ, ac de novo exarata, et a Sede apostolica confirmata, et approbata fuerint, inviolabiliter ab omnibus observari debere, auctoritate, et tenore prædictis volumus, præcipimus, et mandamus.

§. 8. Decernentes ipsas præsentis literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda januarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Decernitur observantia constitutionis.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

Preces portet pro obtinenda apostolica approbatione capitulorum hujusmodi, quousque novæ edantur constitutiones. Quæ approbatio indulgetur.

Dat. die 24.
Januarii 1770
Ann. I.

XLIX.

De truculenta aggressionē, per nefarium scelus patrata in fidelissimum regem Portugalliæ, et Algarbiorum condoletur, suumque exprimit animi dolorem.

Clemens PP. XIV.

Venerabiles Fratres

Sum explicat dolorem pontifex ob acceptum nuncium de nefario scelere patrato.

§. 1. Quanta doloris acerbitate percussi, atque afflicti fuerimus ex horribili e Lusitania allato nuncio de nefario intentato scelere in carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliæ, et Algarbiorum regem fidelissimum, facilius vos ipsi, venerabiles fratres, cogitando intelligere potestis, quam ullo modo dicendo Nos consequi. Magnæ quidem, recentesque, ut scitis, accesserant causæ, cur eundem singularibus pontificiæ pietatis, amoris, charitatis officii prosequeremur, et ipsi fausta, ac fortunata omnia evenire maxime cuperemus. Tanto itaque, ac tam indigno illius casu repente perturbati adeo fuimus, ut iniquissimum eidem illatum impetum in paterna Nostra viscera pene excipere videremur. Illud proinde plenum impietatis, perfidiæ, ac immanitatis facinus, quanta maxima potuimus, detestatione execrati sumus. Verum ex ipsa doloris magnitudine exorta est deinceps incredibilis lætitiæ vis, cum inanem fuisse omnem sceleris conatum, atque optimum regem ex tam præsentis vitæ discrimine manifesto divinæ opis beneficio incolumem evasisse cognosceremus.

Gratiasque Deo reddit ob servatam regis vitam.

§. 2. Propterea majorem in modum continuo incensi sumus, ut Deo Optimo Maximo summas, atque immortales gratias ageremus, quod in illius tuenda vita salvas esse Lusitanas res voluerit, Nostramque, ac bonorum omnium dolorem in mirificæ jucunditatis sensum commutarit. Idcirco et sancti Antonii ædem adivimus, et cum Lusitana natione sui regis amantissima preces Nostras conjunximus; ac deinde in augustissimo beati Petri templo, cum ejusdem cathedræ festum de more perageremus, unanimi vestrum omnium lætitiæ, pietatisque consensione inflammati gratiarum laudes persolvimus. Nunc autem dum in hoc solemnissimo consessu Nostros de regis casu varios, quibus affecti fuimus, horrores, commiserationis, doloris, ac demum

gaudii sensus vobiscum, quod libentissime facimus, communicamus, ipsa temporis opportunitas Nos admonet, ut studia vestra summopere excitemus, venerabiles fratres, ad exoptandum, atque exorandum fidelissimo regi non solum diuturnum, omniumque periculorum expertem vitæ cursum, sed etiam omni felicitate, amplitudine, gloria, omnibusque divinorum beneficiorum præsidiiis, quæ in Ecclesiæ honorem redundatura sint, cumulatum.

L.

Dat. die 25.
Januarii 1770.
Anno I.

Indulgentia generalis cum remissione omnium peccatorum consequenda a christifidelibus occasione capituli generalis celebrandi in civitate Barchinonensi a fratribus minoribus ordinis sancti Francisci de Paula.

Clemens PP. XIV.

Universis christifidelibus præsentem literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum, sicut accepimus, capitulum generale fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minorum nuncupatorum in ecclesia, seu conventu fratrum ordinis hujusmodi civitatis Barchinonensis propediem benedicente Domino, celebrandum sit; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui præfatam, vel aliquam ex ecclesiis conventuum ordinis hujusmodi ubicumque existentibus die, quo inchoabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis actualis illius celebrationis diebus devote visiterint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium ali-

Quid sit præstandum pro consequenda indulgentia statuitur.

quid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; utque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xxv. januarii MDCCLXX. pontificatus Nostri anno primo.

ractæ fuerant a pro tempore existentibus dominis dicti loci de Hamalia, in eam tandem devenerunt concordiam, cujus tenor est qui sequitur videlicet.

§. 2. Anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo nono mensis februarii die sexta hora tertia pomeridiana vel circiter in sequelam ordinationis per reverendissimum, ac illustrissimum dominum Karolum Franciscum comitem de Velbruk perillustris ecclesiæ cathedralis Leodiensis canonicum, in eadem Hasbanix archidiaconum tertia currentis latæ ad hanc diem, et horam servientis coram honorato domino avvocato Massart de Genhez, quo dicti archidiaconatus officiali personaliter comparuerunt reverendus admodum perillustris, ac generosus dominus baro de Haxhe, et Hamal ejusdem perillustris ecclesiæ cathedralis canonicus Joparcha in Hamal etc. etc. ex una, nec non reverendus dominus Habraham a Campo pastor in Rutten suis respective advocatis associati ex altera partibus, qui ad dirimendam, ac extinguendam litem inter respectivas partes agitatam coram eodem reverendissimo, ac illustrissimo domino Hasbanix archidiacono super eo, quod prætenderet dominus secundo nominatus pagum de Hamalia fuisse, et esse de parochia sua ex probationibus, et rationibus sua ex parte deductis, et allatis, perillustris vero dominus primo comparens, quam dominus temporalis de Hamalia, et patronus cappellæ ejusdem loci prætenderet ipsam cappellam fore curatam, innixus super unico actu assertæ præsentationis domini Petri Bootten quarta januarii 1731. factæ per prænobilem dominum Petrum de Mean, aliosque contutores dominorum prolium minorentium quondam nobilis domini Conradi de Blisia, et consortes tamquam de curata, cui hujusmodi præsentationi resistebant omnes quotquot in antea peractæ fuerant præsentationes et collationes a dominis de Hamal tamquam de mero, et simplici beneficio ecclesiastico, aliisque urgentibus rationibus uberius apud acta deductis, in eam devenerunt concordiam, ut sequitur, nempe quod prælibatus dominus baro de Hamalia qualitate, qua recognovit, et recognoscit præfatum pagum de Hamal esse subjectum quoad omnia jura parochialia pastoratui de Rutten, ipsam vero cappellam de Hamal, sive beneficium, aut beneficia in eo existentia, nec non beneficium sub invo-

Tenor inite
Concordiæ.

Dat. die 26 Januarii 1776.
Anno 1.

LI.

Confirmatio concordie initæ a barone de Haxhe, et Hamal, ac Abrahamo a Campo pastore, super qualitate non curata alicujus beneficii, seu cappellanix positæ in pago nuncupato de Hamalia.

Dilecto filio officiali venerabilis fratris episcopi Leodiensis.

Clemens PP. XIV.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus baro de Haxhe, et Hamal canonicus ecclesiæ cathedralis Leodiensis, ac dominus temporalis loci de Hamalia, et Abraham a Campo pastor in Rutten Leodiensis diocesis, quod ipsi ad dirimendam, et extinguendam litem inter eos actam coram dilecto filio moderno archidiacono Hasbanix, in qua dictus Abraham contendebat pagum de Hamalia ex probationibus, ac rationibus pro parte sua deductis, et allatis fuisse, et esse de parochia sua, e contra vero idem modernus baro tamquam dominus temporalis dicti loci, et patronus cappellæ loci hujusmodi sustinere adnitebatur, cappellam hanc esse curatam, innixus unico actu assertæ præsentationis Petri Bootten die iv. januarii MDCCXXXI. expletæ per Petrum baronem de Mean, aliosque contutores prolium minorentium quondam Corradi de Blisia, aliosque consortes tamquam de curata, cui tamen præsentationi resistebant quotquot antea præsentationes tamquam de mero beneficio ecclesiastico simplici pe-

Expositio
precur porre-
ctarum a ba-
rone de Ha-
xhe, et Ha-
mal, et ab Abra-
hamo a Campo
pastore pro con-
firmatione con-
cordie inter i-
psos initæ.

catione sancti Salvatoris in ecclesia de Rutteu quatenus eidem cappellæ, seu beneficio, seu beneficiis in ea existentibus unitum sit, esse, et reputari debere quemadmodum, et memoratus dominus haro ex nunc, et pro semper reputat, et recognoscit tamquam mere simplicia beneficia, quibus mediantibus prædicti domini comparentis resisterunt liti, compensatis hinc inde expensis. Acta sunt hæc, et gesta in ædibus perillustris domini baronis de Bierset perillustris ecclesiæ cathedralis Leodiensis canonici, cameræque rationariæ suæ celsitudinis episcopi, et principis Leodiensis præsidis etc. sub immunitatibus ejusdem cathedralis sitis, præsentibus ad hunc actum tanquam testibus specialiter adhibitis, et ad præmemoratam concordiam adhortantibus reverendo admodum domino Petro Eustachio Samart de Monfort insignis collegiæ ecclesiæ sanctæ Crucis Leodii decano celsissimi episcopi, et principis Leodiensis ab ecclesiasticis consiliario etc. et domino Petro Matthæo Debeche juris utriusque licentiat, et advocato, qui cum dominis comparentibus, et officiali hujus minutam signarunt. = Meque Lamb. Deod. Lhoist sacris apostolica, cæsareaque auctoritatibus, necnon curiæ episcopalis Leodiensis, ac archidiaconatus Hasbanæ notario de præmissis assumpto, in fidem etc.

Et firmiter consisteret concordia pontificia exquiratur confirmatio, quæ elargitur, commissa tamen executione gratia episcopo Leodiensi, qui procedat verificatis verificandis, et dummodo sint vera exposita.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo concordia, et transactio hujusmodi firmiter subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, ac votum dilecti filii Nostri Andreæ Sanctæ

Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Corsini nuncupati ad negotium hujusmodi ab eadem congregatione deputati perpenderunt consilio, discretioni tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam ita judicaveris expedire, præinsertam concordiam cum pactis, et conditionibus superius expressis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia, tenore præsentium approbes, atque confirmes, eique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicias, salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorundem cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vigesima sexta januarii millesimo septingentesimo septuagesimo pontificatus Nostri anno primo.

Quod autem ipse episcopus pro sua prudentia decrevit, firmum continuo, et efficacem habendum erit.

Dempta singulis aliter judicandi potestate.

Et derogatis omnibus in contrarium facientibus.

LII.

Dat. die 27. Januarii 1770. Anno I.

Communicatio privilegiorum congregationis Cassinensis pro abbate, et monachis monasterii Ettalensis ejusdem ordinis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. In suprema Sedis apostolicæ specula meritis licet imparibus ab æterno pastore collocati ad uberes bonorum operum fructus, quos monasticæ congregationes, adspirante superni favoris auxilio, in Ecclesia Dei proferre assidue satagunt paternæ dirigentes

Proemium.

considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus amplioribus in dies gratiarum, et privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Expostulatur communicatio indulgentiarum, gratiarum, et privilegiorum, quibus congregatio Cassinensis fruitur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni abbas, et monachi monasterii Eitalensis ordinis sancti Benedicti non quidem congregationis Bavaricæ, sed in superiori Bavaria existentis, quod ipsi communicationem omniam, singulorumque privilegiorum, gratiarum, et indulgentiarum, quibus congregatio Cassinensis ejusdem ordinis fruitur, sibi, dictoque monasterio, monachis, et personis per Nos elargiri plurimum desiderant.

Concessio facta.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem abbati, monasterio, monachis, et personis nunc, et pro tempore existentibus enunciatam communicationem privilegiorum quoad gratias spirituales tantum auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus.

Clavula salutares.

§. 4. Decernentes ipsas præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Clavula subblata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima januarii mil-

Bull. Rom. Tom. IV.

lesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

LIII.

Dat. die 17. Februarii 1770.
Anno I.

Restitutio seminarii Tusculani episcopo ejusdem civitatis, cum dissolutione illius unionis, et publicarum scholarum olim factæ collegio societatis Jesu ejusdem civitatis.

Clemens PP. XIV:

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Tanta semper ex publico scholarum usu in christianam rempublicam utilitas, atque ex provida seminariarum institutione tam uberes collegit fructus Ecclesia, ut hinc depulsa ignorantæ caligine, quamplures viri literarum splendore patriam illustraverint; inde vero ex recta in seminariis adolescentium institutione permulti operarii in excolenda vinea Domini prodierint, quorum industria divinus cultus, christiana pietas, virtutes denique incrementum acquisiverint. Quocirca pro commissi Nobis divinitus pastoralis officii munere tam in scholarum, quam in seminariarum hujusmodi favorem ea omnia libenter concedimus, quæ conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quæ sit utilitas ab institutione seminariarum promanans, exponitur, quantumque laudandus publicus scholarum usus

§. 2. Dudum siquidem in civitate Nostra Tusculana tam publicæ scholæ, quam seminarium reperiebantur. Hoc autem ineunte sæculo cum scholæ prædictæ amplius non existerent, seminarium vero in tot, tantisque versaretur angustiis, ut non solum habitatio pro alumnois clericis incommoda admodum esset, ac in parum salubri loco posita a cathedrali ecclesia distaret, sed etiam propter tenuitatem reddituum, qui quotidiano ejusdem seminarii sustentaculo satis minime erant, illius clerici, seu alumni sub cura unius tantum presbyteri vivebant, omnisque deerat spes seminarium istud in commodiori, et apriori loco ædificandi, et augendi. Hinc dilecti filii communitas, et homines prædictæ civitatis Tusculanæ, ac felices recordationis Benedictus pp. XIII. prædecessor Noster, qui tunc in minoribus Tusculanæ ecclesiæ præerat quadam laudabili sane æmulatione scholas publicas restituere, ac seminarii hujusmodi conditionem meliorem ef-

Memoratur quomodo in civitate Tusculana, et publicæ scholæ, et seminarium reperiretur, et quibus vicissitudinibus subjecerint exponitur.

ficere putantes tam scholas prædictas, quam idem seminarium curæ clericorum regularium societatis Jesu unanimiter committere respective decreverunt.

§. 3. Hac itaque de re inter communitatem hujusmodi, et eosdem clericos regulares die prima aprilis MDCCCL. confectum desuper fuit publicum instrumentum per acta quondam Joannis Pelasii tum A. C. notarii, in quo, præter alias leges, et conditiones ibidem appositas, clerici regulares prædicti tres publicas scholas in eadem civitate aperire, ac pro illis tres ejusdem societatis magistros literarum, et facultatum constituere, ac retinere promiserunt, duosque insuper adolescentes ab eadem communitate nominandos tanquam convictores in seminario, seu collegio gratis excipere se obligarunt. E contra vero prædicta communitas, atque illius abundantia nuncupata pro victu, et manutentione trium magistrorum hujusmodi annua scuta biscentum quinquaginta monetæ trimestri quolibet anticipate ipsis clericis regularibus persolvenda spondit, unamque domum ad communitatem, seu abundantiam hujusmodi spectantem, et in platea publica dictæ civitatis existentem, ac alteri domui, et horto ipsorum clericorum regularium proximam cessit, ut in ea commoditas pro tribus publicis scholis, atque habitatio pro clericis, seu alumnis, et victoribus parari possent, persoluta ad hæc omnia paranda quantitate scutorum septingentorum quinquaginta ejusdem monetæ, et alias prout in dicto instrumento, cujus tenorem præsentibus pro inserto, ac de verbo ad verbum expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 4. Postmodum seminarium quoque, cui alias eadem communitas in consilio habito die iii. maji MDCLXXVII solvere promiserat annua scuta centum pro jure nominandi duos alumnos, eorundem clericorum regularium collegio noviter tunc erecto idem Benedictus prædecessor, et, ut præfertur, episcopus Tusculanus univit, hac adjecta lege, ut tam pro sex clericis alumnis in antiquo seminario jam detineri solitis, quam pro aliis, quos pro tempore existens episcopus Tusculanus in dicto collegio alendos esse vellet annua præstatio scutorum quinquaginta et unum, ac obulorum sexaginta eidem collegio esset persolvenda; deindeque in transactione inita die decima secunda septembris MDCCXXXVIII. inter collegium hujusmodi, et dictam commu-

nitatem conventum fuit, ut solutis ab ea annuis scutis viginti duobus et obulis quinquaginta, alter alumnus nominari ab ipsa posset.

§. 5. Cum autem, sicut Nobis nuper exposuit venerabilis frater Noster Henricus S. R. E. cardinalis dux Eboracensis nuncupatus modernus episcopus Tusculanus ex hujusmodi unione sic, ut præfertur, peracta Tusculanis episcopis pro tempore existentibus onus tantummodo vigilantie super administratione honorum seminarii impositum sit, ac simul obligatio persolvendi præfato collegio dicta annua scuta quinquaginta, et unum, ac obulos sexaginta pro unoquoque clerico alumno eisdem episcopis superaddita dignoscatur; hincque eveniat quod attenda insufficientia reddituum prædicti seminarii, qui satis profecto non sunt ad persolvendam annuam præstationem hujusmodi pro omnibus sex clericis, seu alumnis, aut ipsi in primis quidem annis scuta vigintiquinque pro quolibet annuatim contribuere cogatur, aut idem episcopus de proprio, ut sæpe contigit, summam hanc diminueret, et quandoque integram debitam præstationem dicto collegio suppeditare tenetur; qua tamen de causa pauperum filii, quos sacrum concilium Tridentinum in alumnos hujusmodi seminariorum præcipere eligendos esse voluit, ab episcopo plerumque nominari minime possint. His vero malis omnibus pro singulari animarum zelo et cleri sibi commissi decore, ac totius Tusculanæ civitatis bono, et utilitate idem Henricus cardinalis, et episcopus remedium adhibere quammaxime desiderans, eximia quidem pietate, constituit, annua scuta centum ex fructibus locorum montium carnealium, et non vacabilium seminarii prædicto assignare, simulque deponere alia scuta duodecim millia, ex quibus scuta bis mille impendenda sint pro suppellectilibus, aliisque necessariis mobilibus in seminarii prædicti usum comparandis, et in illius fabrica, quæ necessaria videbitur, peragenda; alia vero scuta decem millia in tot bona stabilia, ac fructifera arbitrio ejusdem Henrici cardinalis, et episcopi eligenda investiri debeant, ac præterea ipse propriis sumptibus unam domum alteri jam, ut præfertur, cessæ dicto collegio a præfata communitate finitimam emere, ac utramque insimul unire, et sufficientem habitationem pro clericis alumnis, locumque in eis pro publicis scholis parare decrevit.

Unionem tamen seminarii, cum collegio aversari præscriptionibus in concilio Tridentino sancitis modernus episcopus significavit.

Ex concordia inita die 1 aprilis 1701. inter clericos regulares societatis Jesu, et communitatem Tusculanam scholarum, et seminarium institutio ipsis religiosissimis viris nonnullis sub conditionibus enucleata fuit.

Ex alia conventionem quam laudavit Benedictus XIII. tunc episcopus Tusculanus, alumni antiqui seminarii recepti fuerunt in collegio clericorum regularium.

Et de proprio urgentioribus seminarii necessitatibus providere constituit, dammodo unio dissolveretur

§. 6. Id totum tamen, quod revera maximi momenti est, ipse Henricus cardinalis, et episcopus obtulit, ac offert in casu dumtaxat, quod dissoluta per Nos ejusdem seminarii unione, annexione, et incorporatione dicto collegio, ut præfertur, facta, seminarium hujusmodi ab unione, et incorporatione hac prorsus solutum, ac liberum in omnibus, et per omnia in locum dicti collegii etiam quoad præstationes a memorata communitate, et abundantia eidem collegio promissas, et quoad domum quoque dicto collegio cessam substitutum, suppositum, et subrogatum auctoritate Nostra apostolica declaretur.

Ipsius episcopi Tusculani consilium laudatur, et seminarii, et scholarum ratio perpetuo dissolvitur.

§. 7. Nos igitur ejusdem Henrici cardinalis, et episcopi pietatem, zelum, ac liberalitatem plurimum in Domino commendantes, præmissaque omnia in maximum bonum, utilitatemque civitatis et totius diocesis Tusculanæ cessura esse merito putantes, supplicationibus ejusdem Henrici cardinalis, et episcopi super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, motu etiam proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, attenta oblatione præmissorum omnium a memorato Henrico cardinali, et episcopo, ut præfertur, facta, unionem, annectionem, et incorporationem tam antiqui seminarii Tusculani, quam scholarum publicarum civitatis hujusmodi a memorato Benedicto prædecessore, tunc illius episcopo, et a communitate, atque abundantia ejusdem civitatis Tusculanæ collegio clericorum regularium societatis Jesu in ea existenti, ut præfertur, expletam perpetuo dissolvimus, sejungimus, et æparamus, idemque seminarium cum scholis publicis prædictis sic, ut præfertur, dissolutum, sejunctum, et separatam tam quoad obligationes super omnibus annuis præstationibus prædictis, et jure nominandi convictores, atque alumnos respective initas, quam quoad alia quæcumque in superius enunciato instrumento confecto die prima aprilis MDCCl. quomodolibet contenta loco, et vice ipsius collegii substitutum, suppositum, et subrogatum esse, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus volumus, et declaramus, et pro substituto, supposito, et subrogato haberi mandamus, et præcipimus.

Et constitutionis observantia præcipitur, cum

§. 8. Decernentes easdem præsentem literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti, et

alii quicumque, in præmissis seu eorum aliquis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis gradus, ordinis, præminentia, et dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causæque, propter quas præsentem emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam ænormis ænormissimæ, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentare, vel impetrare, seu etiam scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari.

§. 9. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, aliosve quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis hujusmodi, et societatis Jesu prædictæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confir-

derogatione cujusvis iuris quæsiti, et quia recipi posset reclamatio quævis etiam prætextu læsionis etiam ænormissimæ, aut concedi aperiitionem oris, aut aliud quodlibet remedium

Juxta illius tenorem a quolibet iudice procedi decernitur sublata aliter iudicandi facultate

Derogatio contrariorum, etiam speciem requirentium mentionem.

matione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis.

Etiam per specificam et expressam derogationem, non per simplices clausulas generales.

§. 11. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, iisdem presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datam Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima secunda februarii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 1 marcii 1778.
Anno I.

LIV.

Facultas tributa archiepiscopo Taurinensi super cognitione causarum extractionis, et consignationis rerum minorum a loco immuni.

Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Taurinensi.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur quæ fuerit providentia capta a Pontifice Benedicto XIV. super jurisdictione, et immunitate Ecclesiastica, ob controversias subortas inter Sardiniam regem, et nuntium apostolicum.

§. 1. Alias felicitis recordationis Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster ad componendas controversias dudum ortas inter ministros hujus apostolicæ sanctæ Sedis, atque officiales, ac ministros claræ memoriæ Victorii Amadei, dum vixit, Sardinie regis illustris super jurisdictione, et immunitate ecclesiastica, suo, et dictæ Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Karolum Emmanuelem ejusdem Sardinie regem illustrem nuntio, ac com-

missario, quamdam instructionem transmitti mandavit ab ipso nuntio, et commissario archiepiscopis, et episcopis in ditionibus temporalibus eidem Karolo Emmanueli regi subjectis existentibus communicandam, in qua non solum difficultates nonnullæ exortæ super interpretatione concordatorum initorum tempore piæ memoriæ Benedicti papæ XIII. prædecessoris itidem Nostri submovebantur, verum etiam præscriptæ erant nonnullæ regulæ, ad exercitium, et rectam ejusdem immunitatis, ac jurisdictionis normam pertinentes.

§. 2. Contenta itaque in dicta instructione executioni postmodum demandata fuerunt, ac præterea in eo, quod pertinet ad immunitatem localem rec. mem. Clemens pp. XIII. prædecessor quoque Noster votis ejusdem Karoli Emmanuelis inclinatus disposita quoad hæc in prædicta instructione ad provincias vigore tractatum Viennæ, et Aquisgrani a statu, et ducatu Mediolanensi sejunctas, et dicto Karoli Emmanueli regi assignatas extendit, et ampliavit, et alias prout in ejusdem Clementis prædecessoris in simili forma Brevis die iii. septembris MDCCLXIII. expeditis literis, quarum tenorem presentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Verum quia progressu temporis quoad immunitatem localem nonnullæ inordinationes, et alia minime convenientia interea exorta erant, propter eorum frequentiam, et relevantiam idem Karolus Emmanuel rex assueta sua pietate, et zelo commotus, ut opportunum his malis remedium adhiberetur petiit, eflagitavitque. Qua de re idem Clemens prædecessor ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis annuere, omnesque abusos, et inordinationes quoad præmissa penitus amovere desiderans, eo tempore quo super modo id efficacius, et juxta Ecclesiæ regulas decernendi agebatur, mortalem vitam in immortalitatis gloriam ipse commutavit.

§. 3. In hoc itaque rerum statu Nos ad summi apostolatus apicem superna dispositione, meritis licet imparibus assumpti exemplum sectando memorati Benedicti XIV. prædecessoris, et juxta ea, quæ ab eodem Clemente pariter prædecessore constituta jam fuerant, instructioni ab ipso Benedicto, ut præfertur, transmissæ nonnullas declarationes, et provisiones necessitati, ac peculiaribus circumstantiis locorum

Quæ constitutio suum sortita est effectum, et ampliata quoque ad alias provincias ab eodem rege recuperatas, fuit a Clemente XIII.

Pontifex quoque non nullas superaddidit declarationes, et provisiones necessitati, ac peculiaribus circumstantiis accommodatas.

temporali dominio ejusdem Karoli Emmanuelis regis accommodatas, quibus omnis delinquendi modus, sacrique asyli abusus omnino tollerentur, simulque obsequium, et veneratio eidem asylo debita immota permanerent, superaddere decrevimus, atque statuimus. Inter cætera vero, cum pro parte ipsius Karoli Emmanuelis regis Nobis expositum fuisset, quod aliquo ab hinc tempore in locis suæ jurisdictioni temporali subjectis quamplura homicidia atrocia patrabantur a minoribus in ætate viginti annorum nondum constitutis, qui postea ad sacrum asylum confugere solebant. Hinc Nos, ut enormis facinoris hujusmodi frequentia ultra non progrediretur ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis annuere volentes, inter alias declarationes, et provisiones prædictas, id quoque statuendum esse censuimus, ut pro homicidiis atrocibus minores etiam in ætate viginti annorum nondum constituti a loco immuni extrahi, ac servatis omnibus quoad majores præscriptis a felicis recordationis Clemente pp. XII. in suis anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo quinto kalendas februarii sub plumbo expeditis literis curiæ laicali consignari posse, auctoritate Nostra apostolica concessimus, et indulsimus, et quænam ad effectum hujusmodi censeri debeant atrocia homicidia declaravimus.

§. 4. Præterea, ut celeriter minores rei ejusmodi delictorum extrahi, et ut præfertur, consignari respective valeant, extractionem, ac consignationem ejusmodi peragendam esse, dummodo verificata, ac tam in prima, quam etiam, quatenus opus sit, in secunda instantia qualitas homicidii atrocis definita fuerit, et consignatio sequatur juxta formam præscriptam in memorata instructione ejusdem Benedicti XIV. prædecessoris in §. xi., et §. xiii. quoad declarationes super delictis exceptis statuimus, et ordinavimus, eandemque formam in omnibus et per omnia etiam in consignatione reorum observandam esse præscripsimus, et mandavimus; ac demum, ut in peculiari hoc casu de expressa, et magis individua Nostra, et hujus sanctæ Sedis delegatione tam pro prima, quam pro secunda instantia constaret, in eisdem declarationibus, et provisionibus dictæ instructioni superadditis id quoque præscribendum esse censuimus, ut tam fraternitas tua, quam omnes successores tui pro tempore existentes archiepiscopi

Taurinensis facultatem procedendi modo, et forma præmissis tam pro se, quam pro aliis apostolicis delegatis petere omnino teneantur, et alias prout in dictis declarationibus, et provisionibus continetur, quarum tenor quoad præmissa est qui sequitur videlicet.

§. 5. = 5.º Si è inoltre rilevato dalla nota esibita che da qualche tempo in qua negli stati di Sua Maestà moltissimi omicidi, ed anche atroci, si vedono commessi dai minori di venti anni, ai quali la nota bolla di Clemente XII. *In supremo justitiæ solio* estesa già ai medesimi stati non toglie, ma anzi prescrive il beneficio del sacro asilo. In vista pertanto della molteplicità e frequenza dei così enormi delitti, e sulla traccia di quello, che nei casi particolari ha praticato più volte la santa Sede, qualora è stata ricercata dell'opportuno provvedimento, si accorderà, che in avvenire per gli omicidi atroci anche minore di anni 20, che ne sia reo, potrà nelle debite forme estrarsi dal luogo immune, e consegnarsi alla curia laica nel modo, e colle cautele, che detta bolla Clementina ha disposto per i maggiori di 20. anni, dichiarando, che per omicidio atroce s'intenderà il parricidio, il fratricidio, l'uxoricidio, il proditorio, il premeditato, ed appensato, tanto se sia, quanto se non sia insidioso, o quello commesso per causa affatto irragionevole, e bestiale, come ancora l'omicidio, che sebbene derivato dalla rissa è stato però commesso dopo sei ore dal tempo della medesima rissa, e quando la rissa sia stata affettata, e mendicata per causa come sopra affatto irragionevole, e bestiale.

6.º E perchè possa speditamente venirsi a questa estrazione, e consegna, senza dovere, in ogni caso che succeda, ricorrere alla santa Sede per dimandare la deroga della immunità, si potrà liberamente procedere alla medesima estrazione e consegna, sol che venga verificata e decisa, non meno in prima, che occorrendo, in seconda istanza, la surriferita qualità gravante dell'omicidio, e la rispettiva consegna nelle forme prescritte dalla istruzione Benedettina per le declaratorie de' delitti eccettuati, e per le successive consegne alli §§. xi. e xiii., i quali dovranno esattamente osservarsi. Ma essendo conveniente, che nel presente caso più speciale apparisca ancora in modo più individuo dell'espressa delegazione della santa Sede sì per la pri-

Tenor declarationis, et provisionis.

Noviterque alius adjecit declarationes, et ampliationes.

ma, si per la seconda istanza; perciò tanto il presente, quanto ogni futuro arcivescovo pro tempore di Torino dovranno chiedere al sommo Pontefice e per se, e per gli altri apostolici delegati la facoltà di procedere nelle forme suddette, che sarà data una volta per sempre ad ogni arcivescovo per se, e per gli altri, a seconda della suddetta istanza, e petizione.

Preces porrectæ ab archiepiscopis pro obtinenda observantia constitutionis Benedictinæ, etiam in causis contra minores, qui atrociam criminis pertraverint.

§. 6. Quocirca pro parte tua Nobis humiliter supplicatum fuit, ut tam tibi, quam aliis venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis spiritualem jurisdictionem in locis temporali dominio ejusdem Karoli Emmanuels regis subjectis exercentibus, et in quorum diœcesibus in totum, vel in parte in dominio prædicto existentibus observantia viget instructionis ejusdem Benedicti XIV. prædecessoris quoad localem immunitatem, et ad quos quam primum dictæ declarationes, provisiones eidem instructioni, ut præfertur, superadditæ per te transmittendæ erunt, facultatem causas hujusmodi quoad minores prædictos tam in prima, quam in secunda respective instantia cognoscendi, decidendi, ac terminandi apostolica auctoritate concedere, et indulgere dignemur.

Rescriptum pro concessione gratiæ, cum aliquibus reservationibus, et conditionibus.

§. 7. Nos igitur te, eosdemque archiepiscopos, et episcopos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ac archiepiscopis, et episcopis prædictis, ut juxta disposita in paragraphis xi., et xiii. prædictæ instructionis a memorato Benedicto XIV. prædecessore confectæ, et, ut præfertur, transmissæ, omnes quoque, et singulas causas quoad extractionem a loco immuni, et respective consignationem eorum minorum, qui atrociam homicidia patravertint, tam in prima, quam in secunda respective instantia cognoscere; judicare, et terminare, servata in omnibus, et per omnia dictorum paragraphorum præfata instructionis forma, et dispositione, libere, licite, et valide possis, et valeas, ac quilibet eorum respective possit, et valeat, plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ita tamen, ut

eveniente vacatione metropolitanæ ecclesiæ Taurinensis, ac toties, et quoties vacatio hujusmodi evenire in posterum contigerit, is, qui ecclesiæ metropolitanæ hujusmodi præfecturus erit eandem facultatem prædictas causas indicandi tam pro se ipso, quam pro aliis archiepiscopis, et episcopis prædictis a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice petere, et obtinere omnino teneatur.

§. 8. Decernentes ipsas præsentibus literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausulæ salutaris.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans, et clausula sublata.

§. 10. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die prima martii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Derogatio contrariorum.

LV.

Dat. die 14. martii 1770. Anno I.

Facultas regi christianissimo pro tempore nominandi personas idoneas ad cathedrales ecclesias, et monasteria consistoralia existentia in insula Corsicæ.

Carissimo in Christo filio Nostro
Ludovico francorum regi
christianissimo.

Clemens PP. XIV.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum insula Corsica, quemadmodum convenit inter regiam majestatem tuam, et dilectos filios nobiles viros ducem, et gubernatores reipublicæ Genuensis, quæ respUBLICA jam

Memoratur investitura facta ab Innocentio II. et Honorio III. favore reipublicæ Genuensis de insula

Corsicæ, et quibus sub conditionibus illa obvenisset.

dudum a sel. recordationis Innocentio II., Honorio III., aliisque romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris de illo regno investita fuerat sub certis conditionibus, nuper in potestatem tuam pervenerit, postulasti a Nobis carissime in Christo fili Noster, ut tibi ad eisdem insulæ ecclesias cathedrales, nec non et ad monasteria consistorialia, si quæ ibi sunt, nominandi facultatem largiremur. Nos, qui in te singulariter diligendo, omnibusque prosequendo patet amoris testimoniis æmulari statum eos præsertim ex prædecessoribus Nostris, qui in benemerendo de majoribus tuis cæteros antecellunt, non facile solum, sed libentissime etiam ea tibi conferre ab hac sancta Sede petita beneficia volumus, tua maxime religione freti, quod in hujusmodi facultatum usu nunquam prætergressurus sis apostolicæ concessionis modum.

Conceditur francorum regi potestas nominandi personas idoneas ad cathedrales ecclesias in insula existentes, et ad monasteria consistorialia ibidem extantia quæcumque ex causa vacaverint, exceptis reservationibus solitis pro sancta Sede.

§. 2. Proinde per hasce Nostras in forma Brevis literas tibi, tuisque successoribus, quoad prædicta insula, seu regnum, in vestra potestate erit, jus nominandi personas idoneas in theologia magistros, aut in decretis doctores, seu licentiatos nobilium universitatum more, diligenti examine præcedenti promotas, et secundum sacrorum canonum, et concilii Tridentini dispositionem idoneas ad cathedrales ecclesias Adjacentes, Alarienses, Marianenses, Nebienses, et Sagonenses in insula, seu regno prædicto constitutas, nec non ad monasteria consistorialia, si quæ ibi sunt, quotiescumque illas per cæsum, vel decessum, seu alias quomodolibet, præterquam apud apostolicam Sedem vacare contigerit, Nobis, et romano Pontifici pro tempore existenti, per Nos, et eundem Pontificem eisdem ecclesiis ad nominationem tuam hujusmodi respective præficiendas, tenore præsentium reservamus, concedimus, et assignamus.

Suum sic ostendere velle animum in amentissimum regem declarat Pontifex.

§. 3. Atque hunc in modum dum testatam tibi facimus cumulatissimam erga te paternam voluntatem Nostram, eodem tempore declarari a Nobis debere agnoscimus, atque idcirco revera declaramus, nequaquam Nos per hanc concessionem, seu indultum nedum abalienare, sed ne imminuere quidem ulla temporalia jura, si quæ hæc sancta Sede in dicta insula habeat, quæque certa, ac expressa voluntate Nostra, prout ea esse possunt, ac sunt, salva, et illæsa præservamus.

Excipiuntur a concessionem immemorabiles

§. 4. Præterea cum minime æquum sit, ut eadem hæc apostolica Sede dum
Bull. Rom. Tom. IV.

regiam majestatem tuam peculiaribus hujusmodi gratiis auget, detrimenti quidpiam subeat in iis ecclesiasticis prærogativis, quibus ab immemorabili gaudet in dicta insula, eas etiam Nobis reservamus, teque summopere hortamur carissime in Christo fili Noster, ut eisdem perstare Nobis omnino incolumes, atque integras velis, ac facias. Atque hæc ita a te petimus, ut minime dubitemus, te præclaris tuorum majorum vestigiis inhærentem nullas hic partes observantiæ, pietatis, ac defensionis etiam erga apostolicam Sedem esse prætermitturum, effecturumque tuo in Nos eximio studio, ut hæc sancta Sede beneficia in te egregie collocata a Nobis esse semper existimemus.

prærogativæ apostolicæ Sedis, hortaturque rex ut operam præstet quo incolumes, atque integræ illæ quotidie serventur.

§. 5. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum pro observantia constitutionis.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

§. 7. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus ecclesiarum prædictarum reservationibus, seu affectionibus apostolicis, per quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostris, ac Nos, et Sedem prædictam quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon cancellariæ apostolicæ regulis editis, et edendis, ac quibusvis aliis apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione, de

Et derogatio contrariorum.

illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio facta fuisset; seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua exquisita forma ad id servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum harum serie specialiter, et expresse derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decimaquarta martii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 17.
Martii 1770.
Anno I.

LVI.

Extensio constitutionis Clementis XII. quæ incipit = *In supremo justitiæ solio* = cum declarationibus contentis in constitutione Benedicti XIV. quæ incipit = *Officii Nostri* = ad civitates, et loca diœcesis, et principatus Osna-burgensis.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quomodo con-
sultum fuerit
narratur a Cle-
mente XII. pro
compescendis
in temporalis
Sanctæ Ro-
mæ Ecclesiæ
ditione homi-
cidis, quæ pa-
trari solebant.

§. 1. **A**lias felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor Noster per suas sub plumbæ expeditas literas nempe primo kalendas februarii anno incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. pontificatus sui anno V. ad compescenda, et coercenda, atque ab hac alma urbe, totaque temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione penitus avertenda, atque eliminanda homicidia, quæ a viris sanguinum divini, humanique juris oblitis, incredibili cum immanitate, in dies magis magisque increbescente sæpissime patrari non sine gravissimo paterni animi sui dolore, ac mærore audiverat, constitutionem, quæ incipit = *In supremo justitiæ solio* = promulgavit, in qua postquam omnes, et singulas constitutiones a rec. memor. Pio II., Paulo II., Sixto IV., Gregorio XIV., Clemente VIII., Innocentio XI., Innocentio XII., ac Benedicto XIII., et quibusvis aliis romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri, tunc suis adversas homicidas saluberrime editas approbavit, confirmavit, et innovavit, illasque adversus quemcumque

non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari potuisset, in pristinum restituit, et plenarie reintegravit, quas deinceps omnino, et inviolabiliter observari præcepit, et mandavit; inter cætera in eadem constitutione contenta hæc præscripta erant tenoris qui sequitur.

§. 2. Et quoniam experimento con-
pertum est, administrationem, et cursum rectæ et expeditæ justitiæ, qua reipublicæ salus præcipue innititur, summo opere obturbari, vel ab excessivo numero privilegiatorum vulgariter patentati nuncupati, vel a minus recta intelligentia privilegiorum concessorum, proinde salvis, firmisque remanentibus decretis, vel resolutionibus, quæ temporibus felicis itidem recordationis Urbani pp. VIII., et dictorum Innocentii XI ac Innocentii XII. prædecessorum aut alias quandocumque ea super re emanarunt, volumus, quod privilegium fori nemini quorumcumque privilegiatorum hujusmodi tam in urbe, quam in reliquo statu ecclesiastico prædictis (officialibus, aliisque privilegiatis a congregatione pro tempore existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, ac ministris necessariis actu inservientibus archiepiscopis, episcopis, et Ordinariis prædictis, eorumque curiis dumtaxat exceptis) pro crimine homicidii suffragentur, sed dicti privilegiati, quatenus clericali characterе insigniti, Ecclesiæ, et quatenus laici sint, sæculari jurisdictioni subjiciant. Reservantes Nobis facultatem declarandi quinam, quotque esse debeant veri familiares dictorum archiepiscoporum, episcoporum, et Ordinariorum, ac officiales necessarii curiis ecclesiasticis verum, et actuale servitium præstantes. Insuper quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique alias irreprehensibilis, et ab omni culpa, et macula immunis vitæ, ac virtutum exemplo prælucere deberent, aliqui interdum reperiantur adeo suæ vocationis immemores, ut impellente humani generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescunt; Nos perversorum quorumcumque malitiæ obviandum esse, non indulgendum probe intelligentes ad istorum quoque frœnandam pervicaciam, perpetuo itidem statuimus, quod clericus primæ tonsuræ nullum beneficium ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones clericis hujusmodi a concilio Tridentino præscriptas serva-

Tenor constitutionis Clementis.

verit, ac servet, pro duobus tamen homicidiis animo deliberato, et præmeditato per eum patris privilegio fori, et canonis in odium tanti excessus, et ad aliorum terrorem exuatur, et uti incorrigibilis omnino sæculari potestati subjiatur ab ea tamquam laicus legitimis pœnis plectendus. Clericus quoque in minoribus ordinibus constitutus, nec pariter beneficiatus, nec præscripta a concilio Tridentino prædicto servans tam celebs, quam conjugatus in causis homicidii dicto privilegio fori non gaudere, eoque privatus remaneat, neque a proprio episcopo, seu Ordinario repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abiecit reassumere possit post totaliter expiatam admissi delicti pœnam. Declaratio autem an reus ante patratum delictum homicidii requisita a concilio Tridentino servaverit, ad episcopum, aliumque loci Ordinarium omnino spectet, non retardata interim delinquentis assecuratione facienda etiam per judicem sæcularem nomine Ecclesiæ, qui illum prædictæ Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit, et debeat, donec dicta declaratio prodierit, quacumque diversa, ac etiam contraria juris canonici, et apostolicarum constitutionum dispositione, seu interpretatione, nec non consuetudine haud refragante. Porro cum idem Benedictus prædecessor animadvertens homicidia hujusmodi suo etiam tempore increbescere, nec minus quam alia facinora in celebri constitutione dicti Gregorii XIV. etiam prædecessoris, quæ incipit = Cum alias = recensita publicæ quieti officere pro commissi sibi apostolici officii debito per præfatam suam anno incarnationis Domini cæ MDCCLXXV. sexto idus junii, cujus initium est = Ex quo divina = evulgatam constitutionem laicos animo præmeditato ac deliberato proximum suum interficientes ab ecclesiæ immunitatis beneficio excluderet, et repulerit, atque pro exclusis, et repulsis haberi voluerit. Nos ob gliscentem in dies quorundam ecclesiasticorum nequitiam, qui nulla proprii status habita ratione, non raro in adeo nefarium detestandumque crimen prolabantur, ipsorum Gregorii, et Benedicti prædecessorum constitutionibus, quas supra confirmavimus, atque innovavimus inhærentes, et, quatenus opus sit, criminis in illis exceptorum reos immunitate ecclesiastica nequaquam juvari iterum decernentes, eandem Benedicti prædecessoris constitutionem laicos omnino præ-

meditato, ac deliberato, proximum suum, sicut præfertur, interficientes a beneficio immunitatis ecclesiasticæ excludentes ad ipsos ecclesiasticos cujuscumque gradus, et ordinis existant in urbe, et universa ditione Nobis, et Sedi apostolicæ mediate, vel immediate subjecta homicidium animo similiter præmeditato, seu deliberato patran-tes extendimus quoque, et ampliamus, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum judice ecclesiastico competente cognoscatur, et ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum sacrorum canonum condigna puniantur animadversione. Ulterius ad varias doctorum, qui ejusdem Benedicti prædecessoris mentem quoad personas in dicta ejus constitutione comprehensas interpretari, et explicare voluerunt, sententias, et opiniones dirimendas declaramus, homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam laicos, quam clericos, atque omnes, et singulos sive laicos, sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenit in dictam Benedicti prædecessoris constitutionem comprehensos esse, ac deinde censi debere, ac eam, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus: ita scilicet, ut illorum extractio a loco immuni, atque traditio curiæ sæculari, quoad laicos, ad ejusdem curiæ sæcularis requisitionem fiat a curia ecclesiastica, et clerici ab ipsa curia ecclesiastica ex officio omnino extrahantur juxta normam infra dicendam. Item declaramus omnes, et singulos prædictos tam laicos, quam ecclesiasticos, qui in urbe, et ditione prædictis ex causa, et occasione homicidii etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendam inquisiti, processati, vel in contumaciam banniti, et condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit causale, vel ad propriam defensionem immunitatis ecclesiasticæ prædictæ beneficio minime etiam gaudere; utque reorum ratione homicidii, ut præfertur, excepti inquisitorum, seu bannitorum, et in contumaciam condemnatorum extractio ab ecclesiis, aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique judici competenti legitimis modo, et forma a curia ecclesiastica fiat; volumus, et ordinamus, ut quotiescumque judici eccle-

siastico competenti innotuerit, aliquem laicum, seu ecclesiasticum ex causa homicidii excepti inquisitum, atque processatum ad ecclesiam, seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita suppetant indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem iudex ecclesiasticus ex officio, et nemine etiam requirente, si delinquens sit clericus, sin vero laicus postquam a curia sæculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii sæcularis, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ devenire teneatur, extractumque ad suos, si tuti, et securi fuerint, sin minus ad curiæ sæcularis carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, et faciat; ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo quoad inquisitum nondum condemnatum dictus iudex ecclesiasticus ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab extracto homicidii a prædicta Benedicti prædecessoris, et ab hac Nostra constitutione excepta patratum fuisse cognoverit, ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet progrediatur, extractumque si laicus sit, ministris, et officialibus curiæ sæcularis, si autem clericus ejus competentis iudici ecclesiastico tradere, et consignare possit, et debeat, exactis tamen, receptisque in actu traditionis, et consignationis huiusmodi a iudice quidem sæculari juramento, et ab ecclesiastico promissione in verbo veritatis de restituendo extractum ecclesiæ, locove immuni sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis, et eidem romano Pontifici pro tempore existenti reservatæ, quatenus extractus in ejus defensionibus, quæ ad tramites juris, et apostolicarum ordinationum ei competunt, præfata elidat, et diluat indicia, et si illa minime eliserit, seu diluerit, et delinquens repertus fuerit, iudici suo, scilicet ecclesiastico in clericum, sæculari in laicum, ut juris esse censuerit, animadvertere liceat. Quoties autem de jam bannito, aut in contumaciam damnato ex causa homicidii superius excepti, sive laico, sive ecclesiastico agatur, quilibet iudex ecclesiasticus, ut præfertur, competens ad illius laici nimirum instante curia sæculari, et clerici ex officio, extractionem

ab ecclesia locove immuni cum interventu quoque personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ, ad traditionem suo respective iudici, sicut mox dispositum est, faciendam procedat, solamque sententiæ contumacialis, et actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus iudex ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num istiusmodi sententiæ contumacialis legitime, justeque prolata sit, ad formam constitutionum apostolicarum pronunciare, et declarare queat, et debeat, an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne? exactis pariter, et receptis a iudice sæculari juramento, si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico vero, si fuerit clericus, promissione ipsum, ut supra, restituendi ecclesiæ, locove immuni sub antedicta pœna excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus ei ad præscriptum præfatarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem, et injustitiam contumacialis sententiæ prædictæ ostenderit, et sceleris indicia diluerit, quod si id præstare nequiverit, et ex eisdem sententiæ, et actis fuerit, et recte gestis reus repertus fuerit, iudex ejus competens sententiæm exequi, et quando aliquem in pœna erogata excessum deprehenderit, etiam moderari valeat, ita quod quæcumque declaratio a prædicto iudice ecclesiastico facta in iudicio ecclesiasticæ immunitatis super consignatione banniti, et in contumaciam damnati, ejusque denegatione nullatenus deservire, et a nemine allegari possit in alio diverso, et separato iudicio, in quo scilicet de prædictæ sententiæ contumacialis executione postmodum disputari contingeret, ad quem effectum dicta declaratio iudicis ecclesiastici perinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus ex inde scrupalus animo iudicis competentis in cognoscenda, ac definienda validitate, seu nullitate, justitia, sive injustitia ejusdem sententiæ contumacialis ingeratur.

§. 5. Quoniam autem venerabilis frater Maximilianus Fridericus archiepiscopus Coloniensis sacri romani imperii principis elector Nobis super humiliter supplicari fecit, ut dispositionem prædictæ constitutionis Clementis prædecessoris prædicti superius expressam, et insertam ad civitates, terras, oppida, et loca totius diocesis, et principatus Osnaburgensis extendere, et ampliare de benignitate apostolica dignaremur,

Preces porrecte ab archiepiscopo Coloniensi pro extensione prædictæ constitutionis ad totam diocesim, et principatum Osnaburgensem.

Prærogatio, et
extensio con-
ceditur.

§. 4. Nos igitur ipsum Maximilianum Fridericum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, et tam exitiale homicidiorum flagitium, quantum cum Domino possumus, propulsandum, exterminandumque advigilantes præfatam constitutionem pro universa, sicut præfertur, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ ditione a memorato Clemente prædecessore factam quoad præinserta in his præsentibus literis respective ad civitates, terras, oppida, et loca totius diœcesis, et principatus Osnaburgensis auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus, atque deinceps cum omnibus declarationibus, definitionibus, provisionibus, constitutionibus, et decretis contentis in aliis felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris itidem Nostri sub plumbo anno incarnationis Dominicæ MDCCXLV. idibus martii expeditis literis incipientis = Officii Nostri = quarum tenorem hic de verbo ad verbum pro expresso, et inserto haberi volumus, omnino observari præcipimus, et mandamus.

Specialis providentia, servanda pro validitate processus.

§. 5. Volumus autem veluti alias idem Clemens prædecessor pariter voluit, et decrevit, ut sicut a Nostra ditione ecclesiastica, tum extractas in suis defensionibus, quæ ad tramites juris, et apostolicarum constitutionum ei competant, elidat, et diluat iudicia, tum sola sententiæ contumacialis, et actorum, quibus illa fundatur, exhibitio ad hoc sufficiat, ut iudex ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num sententia contumacialis legitime justequè prolata sit ad formam constitutionum apostolicarum pronuciare, et declarare queat, et debeat, an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat, nec ne; tum denique si extractus in suis defensionibus, et ad præscriptum prædictarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem, et iniustitiam contumacialis sententiæ prædictæ ostenderit, et sceleris iudicia diluerit, ita pariter in civitatibus, terris, oppidis, et locis diœcesis, et principatus prædictorum hæc omnia præmissa ad dispositionem juris, et statuta localia diœcesis, et principatus hujusmodi intelli-

gi debeant. Ac insuper volumus, ut donec, et quousque sive per Nos ipsos, sive per romanos Pontifices pro tempore existentes declaratio hujusmodi facta non fuerit, hi tantummodo familiares, et officiales excepti intelligantur, et habeantur, quos de jure, et juxta consuetudinem loci cujuslibet usque ad hanc diem pro familiaribus, et officialibus habitos, et deputatos esse, et haberi, et deputari solitum est.

§. 6. Decernentes easdem præsentibus literas, et in eis contenta quæcumque semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime observari.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, eorundemque cardinalium congregationes, aliosve quoslibet quacumque præ eminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præmissis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatum, terrarum, oppidorum, et locorum diœcesis, et principatus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilium, et quorumcumque prædecessorum Nostrorum literis, privilegiis, indultis, et facultatibus quibusvis etiam dictis cardinalibus, eorumque congregationibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam motu proprio, et ex certa scientia, et potestatis plenitudine etiam consistorialiter, vel alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis te-

Clausulæ salutare.

Præceptum de iudicando ab omnibus ad tramites præsentis constitutionis.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

noribus specialis, specifica, expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio faciendâ, ut post quindecim dies plenum constitutio sortiatur effectum.

§. 9. Volumus autem, ut lapsis quindecim diebus postquam præsentibus literæ per civitates, terras, et oppida, ac loca diœcesis, et principatus prædictorum publicatæ fuerint, omnes, et singulos in diœcesi, et principatu prædictis existentes perinde arceant, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatæ fuissent; utque eorundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima septima martii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 21.
Martii 1770.
Anno 1.

LVII.

De ope ferenda gallicanis præsulibus Parisios conventis pro celebratione comitorum super rebus ad gallicanum clerum spectantibus agitur cum rege Ludovico.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico francorum regi christianissimo.

Clemens PP. XIV.

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ sit magnitudo negotii, quod religioni regis commendatur, evincitur ex eo quod agatur de causa Dei, et religionis tuenda.

§. 1. Numquam fortasse incidere quidquam poterit, de quo acriore animi Nostri studio ad te scribamus, neque rem ullam putamus fore, qua proposita magis ipse pro tua sapientia

commoveri ac excitari debeas; proinde etsi minime ambigeremus, quin peculiarem aliquam Nostram, sanctæque Sedis causam pro pietate in Nos tua facile, si necesse foret, suscepturus esses, tanto tamen magis id a te factum iri confidimus cum de communi quadam maxima gravissimaque re, quæque tua etiam vehementer intersit, tecum nunc acturi simus. Deferimus ad te, carissime in Christo fili Noster, Dei ipsius ac religionis causam, quam jamdiu per impios homines novis quotidie errorum machinis impeti atque oppugnari incredibili cum dolore intuemur. Quadam inter se conspiratione plane conjurasse hoc tempore illi videntur, ut nihil adeo sanctum ac divinum sit, quod intactum esse sinant, quodque per summam audaciam temerare et convellere non conentur. Nova in dies impune proferunt suæ non jam doctrinæ, sed insanix monumenta, quibus initia ipsa morum, religionis fundamenta, unaque humanitatis, ac societatis jura perturbant, ac dicendi quodam lenocinio usi facile in simplices præsertim animos terribilissimam perniciem inferunt, et contagionem propagant.

§. 2. Quam quidem miserrimi hujus sæculi licentiam adeo progressam esse mirari satis ipsi non possumus, atque idcirco nihil Nobis potius agendum existimamus, quam ut omni opera, consilio, atque auctoritate ejusdem compescendæ rationem aliquam ineamus. Ac dum omnem illuc curam intendimus, publiceque execramur, ac iterata proscriptione, quantum in Nobis est, extorquere e legentium manibus quidquid ex illa impietatis officina prodit, et procul eliminare conamur, aliorum etiam, qui usquam sunt venerabilium fratrum episcoporum studia, ac subsidia omnia conjugii cupimus, ut unanimi pro fide consensu roborati ad hoc tantum bellum profligandum omnes insurgamus.

De compescenda nefariorum librorum lectione catholice fidei maxime noxia, sollicita semper fuit sancta Sedes, cui apud terræ episcopum pro suo munere tenentur.

§. 3. Atque hoc ipso tempore, quo ad laborem hunc nostrum quamplurimum operam accedere maxime necesse est, peropportune accidit, ut tui florentissimi, atque amplissimi regni præsulibus Parisios ad celebranda pro suis publicis rebus gallicani cleri comitia convenerint. Minime Nos quidem latet eos ipsos, quorum in peragendo pastoralis ministerio sollicitudinem ac fidem, quorum instructam Dei zelo scientiam optime novimus, nunc de hac rerum summa consultaturos in medium esse, ac

Regi propterea commendantur præsulibus gallicani, qui comitia Parisios celebraturi conveniant, ut rebus consulant hujusmodi.

strenuam pro virili sua quemque inter se collaturos operam et laborem, ut aliquid in commune afferant, quo prorumpentem ac grassantem undique illam pestem divina ope tutius aggrediatur, ac repellant. Iisdem pro Christi fide, pro sanctitate, pro Deo laboraturis spiritum consilii, ac fortitudinis adfuturum a Domino vehementer confidimus. Proinde nullis nostræ hortationis stimulis eosdem pro suo munere sua sponte concitatos indigere lætamur. Tuo vero auxilio, si quid illi proficere volent, magnopere indigebunt. Sed et potissimam post Deum suorum inceptorum spem e perspectissima animi tui religione repetent, carissime in Christo fili Noster, ac in regio præsidio tuo præcipue conquiescent. In hoc etiam imitaturi Nos erunt, qui has fiducia Nostræ plenissimas damus ad te literas, teque quanta maxima possumus apostolici animi contentione obsecramus, ut eosdem tibi quam commendatissimos esse velis, ut religionis causam pertractantium zelo tuo nunc maxime in Deum intento studio secundes, ut incæpta et consilia omnia regia voluntate tua sustententes ac fulcias.

Dei, et religionis causam tuentes reges, etiam regnorum paci, et incolumitati consulunt.

§. 4. Facile tum suum illi animum in Deum, in commissas sibi oves, in patriam etiam, in te, regnumque tuum inflammatum comprobabunt. Cum enim pietate ac religione publicæ res potissimum constituantur, et vigeant, Deoque obsequentes populi in regum auctoritate perfacile contineantur, vides, carissime in Christo fili Noster, eorum huiusmodi curas, ac sollicitudines in tuæ potestatis vim, in regni tui tranquillitatem esse præcipue redundaturas. Cum igitur Dei, ac religionis causam suscipies, tibi etiam, tuoque regno magnopere consules, reque ipsa animadveries non tam ullis opum armorumque præsiis, quam legitimo Dei cultu revelatæque doctrinæ stabilitate humanam societatem salvam, atque incolumem retineri. Quid quod et divinam in te, tuosque benignitatem maxime demereberis, si fidei, pietatisque integritatem publice præstes, et si qua regnandi arte majores tui christianissimos se esse semper exhibuerunt, eadem tu præcellentem et tui ipsius, et illorum gloriam illustrioribus semper religionis tuæ monumentis tuearis?

Laudes christianissimi regis, et opinio sanctæ Sedis de ipsius regia prohibite.

§. 5. Gravissima hæc pontificii animi Nostri sollicitudo postularet a Nobis, carissime in Christo fili Noster, ut pluribus etiam tecum ageremus hanc non minus sanctissimæ fidei Nostræ, quam

regni vestri, ac publicæ tranquillitatis causam, nisi supervacuum futurum id esse Nobis certissime persuaderet Nostra christianæ vereque regis tuæ prohibitatis opinio. Dum itaque a majestate tua quod pari studio quam jure petimus, expectamus, omnipotentem Deum, per quem regnas, pro tua, regionumque liberorum tuorum incolumitate deprecantes apostolicam benedictionem ejusdem gratiæ, ac veræ felicitatis auspiciem regis majestati tuæ intimo paterni animi sensu amantissime imperitumur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xxi. martii MDCCLXX. pontificatus Nostri anno primo.

LVIII.

Datum die 28 Martii 1770. Anno L.

Extensio Brevis Innocentii XIII. de voto, ac juramento præstando a laicis ordinis minorum sancti Francisci de Observantia ante professionem super cessione præcedentiæ favore clericorum.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Eugenius a sancto Josepho frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de Observantia exalceatorum nuncupatorum, ac minister provincialis provinciæ sancti Pauli Castellæ veteris ejusdem ordinis, quod alias felicis recordationis Urbanus papa VIII. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xvi. novembris MDCXLII. expeditas literas, ne de cætero ulli fratres laici, seu conversi ordinis fratrum minorum sancti Francisci de Observantia reformatorum nuncupatorum quovis sub prætextu, quæsito colore, vel ingenio etiam antiquioris sæ ad habitum regularem dicti ordinis receptionis, aut in eo emissæ professionis ratione, seu cujusvis consuetudinis, fratres clericos ejusdem ordinis in quibusvis functionibus tam publicis, quam privatis præcedere, et ne quicumque superiores ordinis prædicti id deinceps quoquomodo permittere auderent, seu præsumerent sub excommunicationis pœna ipso facto per contrafactores incurrenda, sub certis modo, et forma tum expressis

Exponitur quomodo Urbanus papa VIII decreverit, ne laici, aut conversi ordinis s. Francisci de Observantia, quovis sub prætextu præsumerent præcedere in functionibus clericis ipsius ordinis.

apostolica auctoritate statuit, ordinavit, et prohibuit, et alias prout in prædictis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Qua sano constitutio ab aliis summis Pontificibus fuit quoque ampliat.

§. 2. Postmodum vero piæ memoriæ Innocentius pp. XI., ac Benedictus papa XIII. similiter prædecessores Nostri per alias in pari forma Brevis diebus xv. octobris MDCLXXXVI., et vi. augusti MDCXXVII. respective expeditas literas idipsum in provinciis quoque ejusdem ordinis minorum excalceatorum nuncupatorum observandum, atque exequendum esse voluerunt, atque præscripserunt, ac alias prout in literis prædictis, quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Innocentius vero XIII. præcepit ne ad professionem admitterentur, quam prævio iuramento, et voto calendi clericis præcedentiam.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat rec. mem. Innocentius pp. XIII. precibus fratrum ordinis minorum de Observantia, et reformatorum, nec non tertii ordinis ejusdem sancti Francisci regni Siciliae inclinatus ut superiores regulares ordinis prædicti in posterum laicos, seu conversos quoscumque ad professionem admittere non possent, nisi antea coram testibus emitterent votum, vel iuramentum cedendi clericis præcedentiam, injuncta superioribus contrafacientibus privationis officii, ac vocis activæ, et passivæ pœnis ipso facto incurrendis, laicis vero, seu conversis, sine prædicto voto, seu iuramento profitentibus nullitatis professionis statuerit, decreverit, et ordina-verit, et alias prout in ipsius Innocentii literis hujusmodi, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Nihilominus laici, seu conversi provinciae s. Pauli audent observantiam hujusmodi infringere, et apostolicis constitutionibus resistere.

§. 4. Exponens vero prædictus ex eo, quod laici, seu conversi memoratae provinciae sancti Pauli usque nunc non sine scandalo utpote apostolicis constitutionibus inobedientes audeant clericis in functionibus tam publicis, quam privatis præcedere suam ab antiquiori professione præcedentiam asserentes, ideoque rumor, et inordinatio semper oriri solent; hinc ad scandala tollenda, ac quietem in memorata provincia sancti Pauli firmandam totum id, quod ab eodem Innocentio XIII. prædecessore pro fratribus ordinis minorum de Observantia, et reformato- rum, ac tertii ordinis sancti Francisci

regni Siciliae decretum, ordinatum, ac statum fuit, ut præfertur, ad dictam provinciam sancti Pauli per Nos extendi, et ampliari plurimum desiderat.

§. 5. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito super præmissis dilecto filio moderno procuratore generali ordinis fratrum minorum sancti Francisci discalceatorum, et recollectorum nuncupatorum, omnia, et singula in memoratis literis ejusdem Innocentii XIII. prædecessoris disposita, contenta, et expressa ad fratres quoque provinciae prædictae sancti Pauli Castellae veteris ordinis minorum sancti Francisci de Observantia excalceatorum nuncupatorum auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus, atque ab omnibus fratribus prædictis inviolabiliter exequenda, et observanda esse præcipimus, et mandamus.

Opportuna propterea exquiritur providentia, quae inobedientes continere valeat, quae conceditur, in executione constitutionum etiam ad provinciam s. Pauli.

§. 6. Decernentes ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Firmitas constitutionis servanda.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Judicia ferenda ad tramites illius cum clausula sublata, et decreto irritanti.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciae hujusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac com quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in

Et cum derogatione contrarium.

specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vicesima octava martii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Datum die 3^o
Martii 1770
Anno 1.

LIX.

Approbatio gestorum ab archiepiscopo Goritiensi tamquam apostolico delegato circa unionem unius beneficii Lubacensis diœcesis, cum adjectione nonnullorum onerum.

Clemens episcopus

servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Omnium ecclesiarum sollicitudo divinitus Nobis commissa id etiam exposcit, ut divinorum ministrorum qui in sacrario operantur, atque deserviunt altari temporalibus indigentibus prospiciamus, et ab episcopis fratribus Nostri in ejusdem sollicitudinis partem vocatis, proposita media excipientes, supremæ auctoritatis Nostræ vim juxta eorum vota adhibeamus.

Expositio precum porrectarum ab archiepiscopo Goritien.

§. 2. Nuper siquidem Nobis pro parte venerabilis fratris Nostri Karoli Michaelis moderni archiepiscopi Goritiensis expositum fuit, quod ad occurrendum indigentibus mensæ capitularis collegiatae ecclesiæ sancti Nicolai oppidi Novæ, seu Rudolphswerti in Carniola Goritiensis diœcesis, et præcipue præbendarum nimirum theologalis, et pœnitentiariæ ejusdem collegiatae ecclesiæ, cujus præposituram dignitatem

Bull. Rom. Tom. IV.

inibi principalem existentem dictus Karolus Michael ex dispensatione apostolica obtinet, utque dilecti filii Petrus Andreas Scrilicossi archidiaconus Fluminensis et Bertholdus ab Hoffern olim in Naaessenfress nunc Runé rectori modicis ad eorum sustentationem gaudentes redditibus aliquod susciperent levamen pium, munificumque animum carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ imperatricis viduæ, ac Bohemiæ, Hungariæ reginæ apostolicæ paratum noverat ad consentiendum unioni cujusdam perpetui simplicis beneficii ecclesiastici sub invocatione, seu ad altare sanctæ Catharinæ virginis, et martyris in Leess Labacensis diœcesis, quod de jure patronatus dictæ Mariæ Theresiæ reginæ tamquam comitissæ Carniolæ ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur, quodque per ultimi illius possessoris obitum vacabat.

§. 3. Propterea idem Karolus Michael archiepiscopus Nobis supplicavit, ut et ipsius precibus, et magnanimis quoque dictæ Mariæ Theresiæ reginæ votis obsecundare dignaremur.

Supplicatio pro approbatione gestorum etiam de consensu reginæ Mariæ Theresiæ.

§. 4. Nos autem perspectam alias habentes eximiam dicti Karoli Michaelis archiepiscopi fidem, ob quam urgentes causas, quæ dicti beneficii extinctionem suadere possunt debitæ indagini minime obnoxias esse arbitrati fuimus, quinimo aliquas attendentes circumstantias, quæ animum Nostrum digne moverunt, eidem Karolo Michaeli archiepiscopo per simplex rescriptum Nostrum dedimus in mandatis, ut ipse tamquam delegatus Noster dictum beneficium etiam in diœcesi Labacensi consistens mensæ capitulari collegiatae ecclesiæ prædictæ in augmentum illius reddituum perpetuo unire, et adnectere valeret, eodemque tempore ex redditibus illius beneficii injungeret, onus solvendi singulis annis binas fructuum ratas ab eo præfigendas prædictis Petro Andreæ, et Bertholdo, addita conditione, postquam præmissa adimpleverit per publicum documentum Nos certiorandi de iis, quæ dicti rescripti vigore peregisset, ut ea a Nobis probari possent. Mandavimus quoque, ut diligenter consuleret, ne propterea dictum beneficium debitis fraudaretur obsequiis, sed ejus congrue supportarentur onera consuetæ. Cujus quidem rescripti vigore dictus Karolus Michael archiepiscopus de prædictæ Mariæ Theresiæ reginæ speciali consensu idem

Memoratur deputatio ipsius archiepiscopi in apostolicum delegatum, ut optatum beneficii unionem perageret, certis sub conditionibus.

beneficium dictæ mensæ capitulari sub infrascriptis conditionibus univit, et per publicum documentum ab ipso tamquam delegato Nostro subscriptum de omnibus, et singulis ab eo gestis Nos certiores reddidit.

Tenor conditionum.

§. 5. Tenor autem conditionum in actu unionis dicti beneficii talis est videlicet. primo = Quod capitulum, et canonici in loco dicti beneficii idoneum pro beneficiati vices gerente sacerdotem, qui non sit de gremio capituli, curatum ab Ordinario loci approbatum, et approbandum cum congrua fructuum assignatione pro beneficii, ecclesiæ, ac populi servitio, ut antea moris est, et obligationis erat præstando exponere = Secundo = Tum reverendo Petro Andreæ Scrilicossi Fluminensi archidiacono, tum reverendo Bertholdo ab Hoffern olim in Naaessenfress nunc Runè parochio annuos ad dies vitæ florenos Rhenenses centum exsolvere = Tertio = Inter canonicales jam existentes præbendas theologalem etiam florenos similes quinquaginta, ac pœnitentiariam florenos triginta pariter similes annuatim importantes, et importaturas, quæ in hodiernum usque diem apud capitulum præfatum desiderantur constituere, et stabilire teneatur, ac teneantur = Quarto = Residua tandem, quæ ex supra allatis assignationibus, et dispositionibus, cæterisque quibuscumque, ac sub quocumque titulo impendendis supererint, canonicis anterelati collegiati capituli ita applicentur, ut peræquales canonicis partes, decano vero obventura canonicis portio in duplum attribuat, et attribui debeat.

Adimpletis conditionibus in apostolica delegatione enucleatis, euncta ab archiepiscopo gesta laudat Pontifex, et confirmat.

§. 6. Cum itaque singula a dicto Karolo Michaelè archiepiscopo peracta juxta expectationem, et vota Nostra adimpleta fuerint, et approbatione Nostra digna compererimus: motu Nostro proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine unionem dicti beneficii prædictæ mensæ capitulari cum conditionibus præmissis præsentium literarum Nostrarum serie, et vigore in perpetuum confirmamus, et approbamus, et, quatenus opus sit, idem beneficium de dicto jurepatronatus, ut præfertur, existens, et cujuscumque annui redditus sit cum omnibus, et singulis illius bonis, fructibus, et proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis, prævia tamen illius tituli collativi extinctione, ac sub conditionibus præmissis, et præinsertis, dictæ mensæ capitulari de novo unimus, adnectimus, et incorporamus.

§. 7. Atque unionis hujusmodi causa eandem mensam capitularem a debita quindenniorum solutione Cameræ Nostræ apostolicæ ex speciali gratia penitus, et omnino eximimus, et liberamus.

Exemptio a solutione quindenniorum.

§. 8. Decernentes præsentis literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod causæ, propter quas præsentis emanariat adductæ, et verificatæ non fuerint, aut alias ex quacumque causa etiam juridica, et legitima, pia, et privilegiata de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam vocari, aut impugnari minime posse, sed illas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere debere, dictæque mensæ capitulari, ac personis prædictis plenissime suffragari debere; sicque, et non alias per quoscumque iudices etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latefe legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula præservativa.

§. 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis etiam de jure quæsito non tollendo, et exprimendo vero annuo valore beneficiorum in unionibus, et de illis committendis ad partes, vocatis quorum interest, et Pii IV. de gratiis interesse Cameræ apostolicæ concernendis in eadem Camera registrandis, ac Sixti V. super solutione annatarum, et quindenniorum, aliisque apostolicis romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum etiam in synodalibus, et universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis ad præmissorum effectum, illis alias in suo robore permanentibus, harum quoque serie derogamus contrariis quibuscumque.

Derogatur contrariis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, novæ unionis, adnexionis, incorporationis, exemptionis, liberationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipo-

Clausula sublata, et decretum irritans.

tentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo pridie nonas aprilis, pontificatus Nostri anno primo.

Loco ✕ plumbi.

Dat. die 3.
Aprilis 1770
Anno 1.

LX.

Concessio privilegiorum pro cappellanis communibus cappellæ pontificiæ.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Laudes cappellanorum pontificiæ cappellæ.

§. 1. Grata familiaritatis obsequia quæ dilecti filii Petrus Paulus Nardini Alatriæ, Deusdedit Vivaldi Hortanæ, Felix Guidi Romanæ, Camillus Bianchi Romanæ similiter, Marcus Frattini Bargi Sancti Sepulchri, Vincentius Moresi itidem Romanæ, ac Franciscus Fabri Ariminensis civitatum, vel diocesum presbyteri moderni cappellæ Nostræ pontificiæ cappellani familiares nostri Nobis, et apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis, impendere non desistunt; necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fidè dignorum virorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Absolutio a censuris.

§. 2. Hinc est, quod Nos volentes illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutos, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad supradictorum Petri Pauli, Deusdedit, Felicis, Camilli, Marci, Vincentii, et Francisci, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia apostolica auctoritate tenore præsentium Petrum Paulum, Deusdedit, Felicem, Camillum, Marcum, Vincentium, et Franciscum

Bull. Rom. Tom. IV.

prædictos, et illorum singulos in Nostros, et Sedis apostolicæ notarios recipimus, ac sacri palatii, et aulæ lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium præjudicio) nec non nobiles romanos, et urbis Romæ, omniumque, et singulorum civitatum, terrarum, et locorum S. R. E. mediate, vel immediate subjectorum cives creamus, et constituimus, ac in numerum, et consortium aliorum Nostrorum, et ejusdem Sedis notariorum, nec non palatii, et aulæ hujusmodi comitum, ac nobilium romanorum, aliorumque civium civitatum, et oppidorum prædictorum referimus, et conscribimus, ipsosque etiamsi habitum, et rochetum notariorum dictæ Sedis juxta decretum Lateranensis concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in iisdem civitatibus domicilium habuerint, ut nihilominus omnibus, et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, et indulgentiis, quibus cæteri omnes notarii Nostri, etiam de numero participantium, necnon comites, et nobiles, ac cives originarii etiam in civitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum, ac sæcularium, etiam ex personis romanorum originarium vacantium assecutione, et exercitio, tam in urbe, quam in civitatibus prædictis, ac alias ubique locorum, et gentium, necnon sessionum, et conventuum utantur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum non solum ad illorum instar, sed pariformiter, et æque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a sacro concilio Tridentino sublatis) itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis; ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, et notarios, seu tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a notariis Sedis apostolicæ, et comitibus palatinis prætensa, itaut illis supramemorati cappellani familiares Nostri nullibi uti valeant, ac irritum, et inane existat, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, uti, potiri, et gaudere, ac in omnibus, et singulis apostolicis, aliisque literis, instrumentis, et scripturis publicis, et privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese

Receptio in s. Sedis notarios, in comites lateranenses, et nobiles romanos.

Etiamsi habitum et rochetum non deferant.

Concessio immunitatum, et indulgentiarum ad instar notariorum participantium.

Quod in civilibus, et criminalibus ordinariis locorum subjiciant.

notarios, comites, et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon romanæ, et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere, et se illis subscribere valeant, ac pro veris, et non fictis notariis, comitibus, nobilibus, et civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, et per omnia censeatur, concedimus, et indulgemus.

Reservatio beneficiorum, et exemptio ab omnibus oneribus realibus, et personalibus, exceptis contributionibus contra infideles.

§. 3. Et insuper illos, eorumque beneficia, et officia ecclesiastica quæcumque, quocumque, et qualiacumque illorum fructus, res, et jura ubicumque locorum, regionum, et provinciarum, necnon in urbe, civitatibus, terris, et locis eidem romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis consistentia prædia, domos, possessiones, et bona patrimonialia, aliæque temporalia mobilia, et immobilia, ac semoventia, necnon actiones, et jura præsentia, et futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, et naturæ, et cujusvis etiam annui valoris fructus, redditus, et proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum usibus emenda ab omnibus, et quibuscumque decimis, quartis, et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datis, et pedagogis, collectis, et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæerisque oneribus, et contributionibus tam urbanis, quam rusticis, ordinariis, et extraordinariis, realibus, et personalibus, ac mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, et pontium, portarum ac molitararum, et mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, et vecturæ etiam in aliud territorium, seu provinciam terra, mari, et flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, et gravissima causa, pro subventionem contra infideles dumtaxat excepta, nunc, et pro tempore impositis; ita quod illi, et quilibet eorum nihil omnino horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec per Cameræ apostolicæ, aut alios commissarios, seu vectigalium, et tributorum hujusmodi redemptores, conductores, et exactores quocumque privilegio, exemptione, et facultate suffultos, alias quam, ut præfertur, valeant coarctari, quamdiu servitiis Nostris in-

stiterint dumtaxat, eximimus, et liberamus.

§. 4. Ad hæc cum iisdem, ut quæcumque duo dissimilia, vel similia simplicia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, et principalis, canonicatus, et præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eisque etiam cura jurisdictionalis imminet animarum, si eis alias canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, aut alias assumantur ad illa, et instituatur in eis, recipere, et dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixerint, retinere; necnon etiam, quamdiu Nobis inservierint, tum in beneficiis ecclesiasticis, non tam parochialibus, vel curam animarum parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis, vel cathedralibus majores, et in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seu ecclesiarum earumdem capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque, et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, et redditus, durante servitio prædicto, cum ea integritate, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in iisdem ecclesiis, sive locis personaliter residerent percipere, exigere, et levare, proviso tamen per eos, ut onera iisdem dignitatibus, et beneficiis quovis modo incumbentia congrue supportentur.

Facultas retinendi tria beneficia, etiam si unum sit cum cura animarum.

§. 5. Nec non, etiamsi presbyteri fuerint, ac dignitates, et officia obtinuerint, leges, et jura civilia etiam publice in scholis, et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum ætatis annum non excesserint, audire, ac, si habiles, et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque iudicis, advocati, et procuratoris officium in causis ecclesiasticis, et civilibus tantum, exercere libere, et

Quod recipi possint in iudicibus, advocatos, et procuratores.

licite possint ; et valeant , de specialis dono gratiæ dispensamus.

Et confessarios inter approbatos seligere qui eos vita comite a censuris absolvere valeant, etiam s. Sedi reservatis, et vota commutare.

§. 6. Liceat quoque ipsis, et eorum singulis aliquem idoneum, et ab Ordinario approbatum presbyterum sæcularem, vel cujusvis ordinis regularem in suum eligere confessorem, qui vita eis comite, eos, et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, et per eos incurris, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, et successoribus Nostris romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum, et Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus; necnon recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes præfata merito consulenda foret, ac in quibuscumque constitutionibus apostolicis contentis, semel tantum in vita, et mortis articulo, in reliquis vero dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliisve quibusvis casibus semel in anno confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio, præfata auctoritate apostolica absolvere, et illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ iungere salutarem; nec non vota quæcumque (ultramarino visitationis liminum beatorum Petri, et Pauli apostolorum, castitatis, et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Et pensiones recipere supra quocumque beneficio, cura, abbacia, episcopatu, et archiepiscopatu.

§. 7. Ac etiam iisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ tam in dicta curia, quam extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram notario, et testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ quascumque pensiones annuas eis, et eorum singulis super mensarum abbatialium, seu episcopalium, aut archiepiscopalium, et quorumcumque aliorum

beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, et sine cura sæcularium, et quorumvis ordinum regularium, etiam hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque, et qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus etiam quotidianis, seu illorum loco redditus, fructus, proventus, jura, obventiones, distributiones, et emolumenta sibi nunc, et pro tempore assignata, et reservata, quomodocumque simul, vel successive in toto, vel in parte usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorundem cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum respective consensu, in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo cassare, et extinguere, ac postquam cassatæ, et extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta hujusmodi, etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem cappellanos, et eorum singulos nominandis, et quæcumque, quocumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus, seu clericali caractere insigniri volentibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, iisdem modo, et forma, quibus iisdem cappellanis assignatæ, aut reservatæ, vel assignati, concessi, seu concessa fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, et fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, et emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, et de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, et quantitatem præfatam, ac alias cum omnibus, et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, et cautelis, ac etiam censuris, et pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, et contentis integre persolvendis servata tamen forma constitutionis fel. record. Innocentii papa XI. prædecessoris Nostris super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, et assignare.

§. 8. Volumus autem, ac sub pœna nullitatis translationum hujusmodi distincte præcipimus, quod respectu pensionum eis, et cuicumque eorum respective, ut præfertur, reservatarum, et assignatarum, seu reservandarum, et

Quod autem translatio pensionum fieri ab eis nequeat, nisi favore eorum qui in temporalibus subjiuntur Sedi Apostolicæ.

quocumque tempore assignandarum super quibuscumque cathedralibus, metropolitanis, monasteriis, etiam consistorialibus, atque aliis quibusvis beneficiis tam simplicibus, quam residentialibus, aut aliter quomodocumque qualificatis intra urbem, et ac statum ecclesiasticum Nobis, et sanctæ Sedi in temporalibus immediate subjectum existentibus, præfata transferendi facultas tum coram persona in dignitate ecclesiastica constituta, tum coram notario, et testibus eis, et cuilibet eorum respective ut supra impertita exerceri, aut expleri per eos, et quemlibet eorum respective nequeat, nisi favore dumtaxat illorum, qui vel ex eodem statu ecclesiastico, vel ex iisdem regnis, et provinciis originem trahant, in quibus et ipsi quoque Nostri, et sanctæ Sedis in temporalibus subditi promiscue cum civibus, et naturalibus dictorum regnorum, et provinciarum ad pacificam tam beneficiorum quorumlibet ecclesiasticorum, quam similium pensionum possessionem admitti consueverunt.

Facultas disponendi de omnibus fructibus, et proventibus quavis causa, et occasione collectis per testamentum, codicillum, donationem, aut alio quovis modo.

§. 9. Nec non, ut iidem cappellani, et eorum quilibet de omnibus, et singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, et locis, etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, et mobilibus, quæ tamen non sint altaris, seu altarium ecclesiarum ipsis cappellanis Nostri præfatis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem ecclesiarum servitio, aut alias divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, et conditionis existentibus, ac juribus, et actionibus ad eos ratione ecclesiarum cathedralium, et metropolitanarum, monasteriorum, prioratum, præpositurarum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura sæcularium, et quorumvis ordinum regularium, quæ ex quibusvis concessionibus, et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac alias quomodolibet obtinuerint, et obtinent, ac obtinebunt, ac fructuum, reddituum, et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, et proventibus eis reservatarum, et assignatarum, ac reservandarum, et assignandarum, quos, et quas perceperint, et percipiunt, ac percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque romanæ curiæ officiorum, ac alias quomodolibet spectantium, et

pertinentium, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, ac labore quomodolibet, et undecumque, licite tamen acquisitis, et acquirendis, ac alias etiam de muneribus, et officiis quæ exercuerint, et exercere contigerit, et alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad eosdem perventis, et perventuris, etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta curia, quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, et veros annuos valores, etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione honorum, et supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, et singillatim exprimerentur, et denotarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis et debendis, ac nondum perceptis, et exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quæ illis debita erit (constitutione declaratoria super fructibus, et pecuniis non exactis, quæ forsitan ad successores in ipsis beneficiis spectare, et pertinere debeant, non obstante) etiam cumulative, cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus, et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, et usum, et alias pro eorum arbitrio, et voluntate absolutis, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quam causa mortis, et aliis quibuscumque modis, titulis, scriptura etiam minus solemnè, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam schedula eorum manu scripta, vel subscripta, ac alias in omnibus, et per omnia, proat, et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa curia (non tamen extra residentiam) etiam in mortis articulo, et non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velint, et intendant, semel, atque iterum, et

pluries disponere, statuere, et ordinare, itaut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu alias ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes legata, et statuta, etiam pluries, et toties, quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere etiam libere, et licite valeant, plenam, et liberam concedimus facultatem.

Quod si intestati decesserint, bona cuncta etiam provenientia Camera apostolica ad hæredes sanguinis deveniant.

§. 10. Statuentes nihilominus, et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod, si contigerit ipsos ab intestato, et sine ulla, vel cum minus valida honorum, ac rerum, et fructuum, reddituum, et proventuum prædictorum dispositione in dicta curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia, aut alia loca debitæ ab eis residentæ personalis, etiam nulla subsistente causa ab humanis decedere, omnia, et singula illorum bona, res, et jura, etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia prædicta summa, etiam ex prædictis, et alias undecumque provenientia ad Cameram apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorumdem integre deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id scripto nominaverint, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem, scriptura etiam minus solemniori, secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii iudices, seu exequutores omnino exequi et adimplere, illique sese conformare in omnibus, et per omnia debeant, et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, et alia forsitan alias ab ipsis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis localibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, et affinium prædictorum, et alias quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, prædicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat, approbamus, et confirmamus, omnesque, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum omissarum, et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui

intervenerint in iisdem, etiam si tales sint, vel fuerint, quod specialis, et specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illud nondum devenum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in personis, et quibusvis aliis etiam per Nos, et Sedem prædictam quomodolibet editis, et in futurum edendis cancellariæ apostolicis regulis, et stylo in similibus hactenus servato, et piæ memoriæ Alexandri papæ VI. prædecessoris etiam Nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Camere prædictæ deberi inter alia disponendam; nec non ejusdem memoriæ Bonifacii pp. VIII. etiam prædecessoris Nostri, per quam concessionem de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legibus imperialibus, et aliis etiam municipalibus tam urbis, quam quarumvis aliarum civitatum, et locorum, in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, et hospitalis prædicti, necnon quorumvis collegiorum, et officiorum, dictæ curiæ, ac regnorum, provinciarum, et urbis, ac aliarum civitatum, et locorum, ac prædictæ Camere, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis literis apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo, ipsi cappellani per se, vel eorum procuratore præstiterint forsitan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, hospitali sancti Joannis Hierosolymitani, illorumque præsulibus, seu administratoribus, et superioribus, ac magistris, præceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis, et conventibus, civitatibus, et locis, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis, etiam ejusdem S. R. E. cardinalibus,

Derogatur
contrariis.

ac dictæ Cameræ officialibus, illorumque collegiis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis per quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, et Sedem prædictam, etiam consistorialiter, etiam de ejusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac per modum statuti, et constitutionis perpetuorum, ac motu, et scientia paribus, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum, et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis, et in posterum concedendis, confirmandis, et innovandis, etiam si in illis, ac statutis, et stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacite, quod urbis, nonnisi originariis civibus romanis, ac civium eorundem filiis, aliorum vero partium beneficia, nonnisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut alias certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri respective possint, et nullus in civem urbis, aut civitatum, oppidorum, terrarum, et locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsitan ad certum valorem ascendenti possideat, quodque præceptoriarum, et alia beneficia quæcumque dicti hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, tam ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum prædictorum dispositione non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam commendatariorum revocabiliter concedi debeant, ut sic pensionibus ecclesiasticis, sæcularibus, aut aliis personis apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, et privilegiis prædictis, etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissime extendendæ, etiam per quascumque literas apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tunc demum ad id magistri, et conventus præfatorum expressus accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per di-

ctum magistrum subscriptæ, ac ei, et prædicto conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, et non alias, nec alio modo, et semper in hujusmodi literis, quæ sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula, quod illorum effectum sortiantur de consensu magistri, et conventus prædictorum, et non alias, aliter, nec alio modo.

§. 12. Quibus omnibus, et eorum singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitæ derogationis in rescripto, etiam motu proprio emanato, apposita, aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore, et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, et in specie, ad effectum præmissorum specialiter, et expresse motu, et scientia similibus derogamus, et derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tam in judicio, quam extra illud, adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 14. Quodque prædicti, antequam gratia creationis in notarios perfrui valeant, in manibus alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a Sede prædicta propositos emittere, et solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneantur, et quilibet ipsorum teneatur. Cæterum volumus pariter, atque decernimus, ut, si cui ex supra dictis cappellanis similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates ab aliquo romano Pontifice prædecessore Nostro, cui simile cappellani ministerium præstiterit, concessæ fuerint, præsentibus literæ illi, quoad facultates testandi de bonis, et transferendi pen-

Publicatio, et mentio specifica derogatorum.

Fides habenda transumptis.

Onus præstandi professionem fidei.

siones hujusmodi, minime suffragentur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die iii. aprilis MDCCLXX. pontificatus Nostri anno primo.

LXI.

Divisio provinciæ Extremaduræ, et erectio in duas separatas provincias.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. **S**uperna apostolicæ charitatis, providentiæque Nostræ erga omnes christifideles, atque eos potissimum qui e fluctibus sæculi erepti ad tranquillam religionis portum confugerunt, adhibenda a Nobis cura maximopere postulat, atque exigit, ut omnes pontificiæ benignitatis et auctoritatis operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, ut dissidiis, partiumque studiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter viros præsertim religiosos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum, et regularem disciplinam confirmandam constabulantur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Dominicus Valera frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac minister provincialis provinciæ sancti Michaelis Extremaduræ ejusdem ordinis, quod licet alias felicitis recordationis Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die viii. augusti MDCCLVII. expeditas literas ad sedandas lites, ac discordias, quæ in dies crescebant, et grassabantur inter fratres ejusdem provinciæ natos infra flumen Tagum, atque alios, qui supra illud nati erant cum magna disciplinæ regularis jactura, et provinciæ hujusmodi detrimento, quamdam distributionem officiorum inter easdem duas fratrum hujusmodi partes statuerit, atque præscripsisset, et alias prout in ejusdem Benedicti prædecessoris literis prædictis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Nihilominus dissectiones, et animorum simultates, ac dissidentia adeo

postmodum excreverunt, ut fratres unius partis, seu ut vocant, partialitatis minime superioribus alterius partialitatis obedire voluerint, atque illi unius vivere, et commorari absolute recusarunt in conventibus alterius partialitatis, absque eo, quod omnis cura, et diligentia a superioribus adhibita, omnia hæc damna, et regularis disciplinæ præjudicia impedire valuerit, et eorum pro pace, ac tranquillitate conatus, prudentioresque viæ illusæ penitus evaserunt.

§. 3. Quibus præterea accedit, ut propter ejusdem provinciæ longitudinem, et latitudinem, ac conventuum pluralitatem, et viarum anfractus, ipsius visitatio ministris provincialibus incommoda nimis, et difficilis admodum reddatur. Hisce præjudiciis, ac inordinationibus, aliisque quamplurimis nullum aliud adhiberi posse remedium præsentius existimatur, quam ut eadem provincia in duas distinctas provincias dividatur, et ex conventibus, ac fratribus partis, seu partialitatis supra Tagum una, atque ex conventibus, et fratribus partis, seu partialitatis infra Tagum alia constituatur provincia. Ea propter dictus exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito etiam dilecto filio Nostro Aloisio Maria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali Torrigiani nuncupato, ejusdem ordinis minorum sancti Francisci de Observantia apud Nos, et apostolicam hanc sanctam Sedem protectore, motu etiam proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine per præsentem committimus, et mandamus dilecto filio Antonio Abian ejusdem ordinis ultramontanæ familiæ commissario generali, ut provinciam præfatam sancti Michaelis Extremaduræ in duas provincias apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo dividat, disjungat, et separet, duasque distinctas, et separatas provincias erigat, earumque unam

Sed ex ipsa unione aliam detursum enatum sunt difficultates, quæ dismembrationem suadent, ne graviora damna, et scandala offendantur.

Et dismembratio indulgetur, collata facultate id exequendi in cardinali protectorem ordinis, qui procedere tamen debet verificatis expositis.

Tenor precum porrectarum, in quibus referuntur providentiæ capta a Pontifice Benedicto XIV. ut lites, subortasque discordias inter monachos componeret, per unionem provinciarum.

ex conventibus, ac fratribus partialitatis supra Tagum, aliam vero provinciam ex fratribus, ac conventibus alterius partialitatis infra Tagum constituat, ac pro hac prima vice ministros provinciales, et definitores pro utraque respective provincia, qui in officiis huiusmodi per triennium juxta regularia instituta ejusdem ordinis durent, eligat, et deputet.

Facta autem divisione, singula provinciae frui debent iisdem exemptionibus, et privilegiis, quibus dum unitae erant donabantur.

§. 5. Et posteaquam praedictae duae provinciae, vigore praesentium, ut praefertur, erectae, et constitutae fuerint, eidem duabus provinciis, ac cuilibet earum, illarumque conventibus, domibus, et ministris provincialibus, definitoribus, caeterisque superioribus pro tempore existentibus, ac fratribus, et personis quibuslibet, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, praerogativis, praeminentiis, praecedentiis, indulgentiis, et indultis, quibus aliae ejusdem ordinis provinciae, illarumque conventus, domus, superiores, et fratres, aliaeque personae tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum pari modo, et absque ulla prorsus differentia, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant respective, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum serie similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Decretum irritans, et clausula sublata.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et ordinis huiusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et per-

sonis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

LXII.

Datum die 27.
Aprilis 1770.
Anno 1.

Privilegia academiae theologiae in archigymnasio Sapientiae urbis institutae confirmantur, et nova quoque conceduntur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**x commisso Nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, literarum, et praesertim theologiae facultatis studia inter christifideles in sortem Domini vocatos opportunis rationibus excitare, et promovere satagimus, ac ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus, et incrementum, ac catholicae fidei praesidium cognoscimus in Domino expedire.

Decet summum Pontificem literarum studium, et praesertim theologiae facultatis excitare.

§. 2. Alias siquidem felicitis recordationis Clementis pp. XI. praedecessor Noster academiam theologicam nuncupatam suis sub auspiciis in alma urbe erexit, ac instituit, eique locum in aedibus publici archigymnasii Sapientiae nuncupati ejusdem urbis pro suis con-

Hac de causa Clemens XI. academiam theologicam in urbe erexit, multisque ditavit privilegiis.

ventibus habendis, ac functionibus peragendis concessit, et assignavit. Postmodum vero cum idem Clemens prædecessor accepisset, quod si, qui academice hujusmodi nomina dederant, peculiare in sacræ theologiæ, et ecclesiasticæ historice disciplinæ progressus faciebant, ita ut majora in posterum sperari possent incrementa, quæ suavissimos, uberesque fructus in Ecclesiam Dei proferrent, per suas in simili forma Brevis die vigesima tertia aprilis MDCCXVII. expeditas literas non solum ejusdem academice institutionem, ac perpetui usus loci in dicto archigymnasio assignati concessionem, sed etiam constitutiones, ac statuta pro recto, ac felici ejusdem academice gubernio condita confirmavit, et approbavit, aliisque præscripsit, et indulgit, ac nonnullos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales ipsius academice protectores, et defensores constituit, et deputavit, ac alias prout in prædictis ejusdem Clementis prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Sane fructus, quos ex academia hujusmodi ipse Clemens prædecessor sperabat, postmodum, opitulante divini nominis gratia, ita uberrime illa reddidit, ut nequim. fel. me. Benedictus pp. XIII, idem prædecessor Noster aliis favoribus, et gratis ipsam insigniverit, et bo. me. Raphael Cosmas, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis de Hieronymis nuncupatus eam redditibus liberaliter auxerit, atque ditaverit.

§. 4. Verum quoque Nos ipsi, qui dum cardinalatus honore fungebamur, et inter alios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales ejusdem academice protectores, et defensores recensiti fuimus, singulari cum animi Nostri jucunditate academice prædictæ exercitationibus interessendo, plures ecclesiasticos viros in ea facultate versatos, ac etiam magistros, et doctores, seu alio quoque honore insignitos in vinculo charitatis conjunctos ad sublimiorem divinarum rerum cognitionem, cœlesti gratia adjuvante, aspirantes admirati sumus, eandemque academiam sub patrocinio, ac defensione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium Joannis Francisci episcopi Sabinensis Albani, et Joannis Francisci episcopi Prænestini Stoppani, ac dilectorum filiorum Nostrorum Ferdinan-

di Mariæ ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis de Rubéis, ac Flavii, idem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Chisii respective nuncupatorum existere, qui tamquam amplissimi scientiarum fautores academice hujusmodi progressus, et incrementa summo studio, ac vigilantia enixe curare nunquam desinunt, maximopere in Domino letamur.

§. 5. Ut igitur hi, qui theologicis studiis tanta cum orthodoxæ fidei utilitate, in ea operam dare pergunt, alacriorè animo id agant, academiam ipsam novis pontificæ Nostræ beneficentiæ favoribus insignire decrevimus. Quocirca motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostri, deque apostolicæ potestatis plenitudine, quæcumque privilegia, gratias, et indulta a memoratis Clemente, et Benedicto prædecessoribus academice prædictæ, et iis, qui nomen eidem dederunt, vel in posterum daturi sint quomodocumque, et quancumque concessa, tributa, et elargita confirmamus, et approbamus, ac quatenus opus sit, denuo concedimus, et indulgemus.

§. 6. Atque præterea ne labori desit præmium, sed debitus ei rependatur honor, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, statuimus, et ordinamus, ut anno quolibet unus, qui per integrum triennium assiduis studiis operam sacræ theologiæ instituto navaverit, et exercitationibus, quæ in ipsa academia fieri solent, interfuerit, et ea præbuerit progressus, et scientiæ specimina, ut per majorem suffragiorum numerum a censoribus ejusdem academice dignor habeatur, dato ei hac de re publico testimonio, dilecto filio nunc, et pro tempore existenti palatii Nostri apostolici magistro exhibendo, gratis ad doctoratus, et magisterii in sacra theologia gradus a theologorum collegio promoveri possit, ac valeat, et sic promoti graduum hujusmodi insignia gestare, ac publice, et privatim etiam in quibusvis studiorum generalium universitatibus theologiam ipsam docere, et de ea disputare, actusque gradibus hujusmodi convenientes exercere, ac omnibus pariter privilegiis, prærogativis, gratis, favoribus, et indultis, quibus alii in universitatibus studiorum generalium ad gradus præfatos promoti de jure, usu, stylo, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri,

Quorum numerus ut semper augetur, confirmantur gratias, et privilegia concessa.

Et indulgetur ut qui dignior inventus fuerit, doctoralem lauream gratis recipere possit post integrum triennium assidua opera, et publico dato testimonio de progressu in studiis.

Benedictus vero XIII aliis gratis, et favoribus eam insignivit, multique S. R. E. cardinales eam redditibus liberaliter ditaverunt.

Fluerunt in ea continuo viri clarissimi.

et gaudere poterunt in futurum in omnibus, et per omnia, perinde ac si in universitatibus hujusmodi gradus ipsos suscepissent, etiam uti, frui, potiri, et gaudere pariter libere, et licite possint, ac valeant licentiam tribuimus, et facultatem.

Clausula salutares.

§. 7. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit inviolabiliter, et inconcussa observari.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. Aprilis 1770. Anno I.

LXIII.

Erectio confraternitatis in ecclesia civitatis Iprensis sub titulo Adorationis perpetuæ, et Orationis sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, illiusque unio seu aggregatio cum archiconfraternitate sanctissimi Sacramenti urbis.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur preces porrectæ pro erectione confraternitatis, et quale esse debeat illius institutionis obiectum, et munus.

§. 1. Exponi fecit Nobis venerabilis frater Felix Joseph episcopus Iprensis, ad augendum cultum devotionemque fidelium erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, se erigere velle pro tota sua diocesi in aliqua ecclesia civitatis Iprensis novam quamdam confraternitatem utriusque sexus sub titulo Adorationis perpetuæ et Orationis sanctissimi Eucharistiæ sacramenti; supplicesque nobis preces exhibuit, ut eandem confraternitatem a se erigendam

confraternitati sub eodem titulo Adorationis perpetuæ sanctissimi Sacramenti erectæ in insigni collegiata sancti Martini civitatis Leodiensis, quæ archiconfraternitati sanctissimi Sacramenti urbis est aggregata, unire, ipsiusque confratribus, et consororibus eandem indulgentias, quibus eadem illæ confraternitates sanctissimi Sacramenti fruuntur, elargiri apostolica benignitate dignemur.

§. 2. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi confraternitatem a prædicto venerabili fratre episcopo Iprensi erigendam pro oratione perpetua in qualibet diei hora ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pro civitate, et diocesi Iprensi, omnibusque in ea, postquam canonice erecta fuerit, adscribi volentibus confirmamus, eamque motu proprio alteri confraternitati sanctissimi Sacramenti in collegiata insigni sancti Martini civitatis Leodiensis ab anno MDLXXV. erectæ, et archiconfraternitati sanctissimi Sacramenti urbis aggregatæ, unimus, et omnes et singulas indulgentias, quibus archiconfraternitas prædicta urbis gaudet, communicamus. Ac insuper easdem omnes et singulas indulgentias, quibus aliæ confraternitates pro perpetua sanctissimi Eucharistiæ sacramenti adoratione institutæ fruuntur, clementer elargimur.

Quibus omnibus indulget Pontifex, communicatis omnibus indulgentiis concessis archiconfraternitati urbis.

§. 3. Omnibus vero dictæ confraternitatis, ut supra prærigendæ confratribus, et consororibus primo in die ingressus, dein et per integram horam ante augustissimum Eucharistiæ sacramentum pie orantibus indulgentiam plenariam semel in mense concedimus. Item ex speciali gratia eisdem confratribus et consororibus vere penitentibus, confessis, et sacra communione reffectis, et juxta mentem Nostram per aliquod temporis spatium pie orantibus indulgentiam plenariam in dominica infra octavam sanctissimi Corporis Christi, in dominica infra octavam omnium Sanctorum, et in festo Epiphaniæ, in prima dominica quadragesimæ, et prima dominica maii, et in quatuor festivitibus infra annum, ab eodem venerabili fratre episcopo Iprensi designandis, impertimur, atque omnes, et singulas indulgentias, quas valere volumus perpetuis futuris temporibus, animabus fidelium defunctorum

Insuper conceditur indulgentia plenaria tum in die ingressus, tum in specialibus aliis festivitibus.

applicari posse concedimus et indulgemus. Non obstantibus Nostra, et cancellaria Nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fide habenda transumptis.

§. 1. Volumus autem ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem presentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima aprilis anni MDCCCLXX, pontificatus Nostri anno primo.

libra cobur. I. ...

Dat. die 28. Aprilis 1770. Anno I.

Prohibitio extrahendi libros e bibliotheca monasterii beatae Mariae de Guadalupe, Nullius diocesis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum et status bibliothecae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Alonsus de Montemolin prior regii monasterii beatae Mariae de Guadalupe ordinis sancti Hieronymi Nullius diocesis provinciae Compostellanae, quod in eodem Monasterio conspicua extat bibliotheca, in qua praeter ingentem librorum numerum, plura quoque instrumenta ad mathematicam spectantia, et nonnullae machinae ad physicam, seu philosophiam in instrumentis positam pertinentes asservantur; ipse vero Alonsus praedictorum omnium conservacioni in publicum bonum a Nobis provideri summopere desiderat.

Prohibitio extractionis librorum ad omnes personas extenditur, vetaturque sub poena excommunicationis latae sententiae, a solo Pontifice pro tempore existente, remittenda.

§. 2. Nos igitur specialem dicto Alonso gratiam facere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis personis quacumque auctoritate, vel superioritate fungenti-

bus, et functuris, ac cujusvis status, gradus, conditionis, praeminentiae, et dignitatis, nunc, et pro tempore etiam ejusdem monasterii monachis existentibus, ne ullo unquam, etsi brevi tempore, libros, codices, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta, instrumenta, et machinas hujusmodi extrahere, commodare, seu asportare, ac folia, figuras, laminas, seu delineationes a libris, et codicibus praedictis, in quibus insertae sunt, scindere, vel ut commodentur, aut extrahantur, seu asportentur, sive scindantur, permittere, aut consentire sub quovis quaesito colore, praetextu, causa, vel ingenio audeant, seu quovis modo praesumant sub excommunicationis latae sententiae, et quoad regulares privationis vocis activae, et passivae poenis per contrafacientes eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis, a qua nemo nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere, auctoritate apostolica in tempore presentium prohibemus, et interdici-mus, ac praeterea auctoritate, et tempore praedictis decernimus, et mandamus, ut libri monachorum in monasterio huiusmodi decessentium in eadem bibliotheca ponantur, ac sub poenis praedictis ibidem custodiri debeant, solumque nunc, et pro tempore existenti ejusdem monasterii priori facultatem ex libris monachorum huiusmodi vendendi, seu cum alijs libris commutandi illos, quorum exempla in bibliotheca praedicta jam reperiantur, et ex venditorum pretio alios ab eis diversos libros comparandi concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis exemplum in valvis dictae bibliothecae, vel in aliquo conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixum remaneat. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

...

Dat. die 10.
Majii 1770.
Anno I.

LXV.

Facultas concessa archiepiscopo Pharsalæ legendi, et retinendi librum, cui titulus = *Dictionarius encyclopedicus* =.

Venerabili fratri Emmanueli archiepiscopo Pharsalæ generali in regno Hispaniarum inquisitorii.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponit Pontifex rationem cur gratiam hujusmodi singularem concesserit.

§. 1. Mittimus ad te, venerabilis frater, hisce nostris conjunctum supplicem libellum Nobis nomine societatis Hispanicæ amicorum patriæ oblatum, ex quo perlecto quid a Nobis postuletur intelliges. Nos tua religione, zelo, ac sapientia freti opportunas, ac necessarias facultates tibi damus, ut potestatem facere possis retinendi, legendique dictionarium encyclopedicum iis ex præfata societate, a quibus maturior jam ætas, probati mores, doctrinæ, perspectumque fidei studium omnem valeant periculi suspicionem, hauriendique erroris timorem avertere. Atque hac libenter utimur opportunitate, venerabilis frater, declarandi tibi plurimam apud Nos esse estimationem tui, paremque etiam constare nostram erga te pontificiam charitatem, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima maji anni MDCCLXX. pontificatus Nostri anno primo.

LXVI.

Dat. die 16.
Majii 1770.
Anno I.

Ampliantur, et confirmantur privilegia et facultates auditorii causarum sacri palatii apostolici.

Clemens episcopus

servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Cum primum supremo cælestis patrisfamilias consilio ad sacram

beati Petri Sedem evecti fuimus, non solum percepimus, ac penitus hausimus animo divinam illam vocem, qua ad pastoralis officii implendas partes in excolendo Dominico agro, pascendisquæ Christi ovibus continuo excitamur; sed insonuit etiam nostris auribus, atque infinis hæsit sensibus celeste illud mandatum, quo judicare populum in justitia, et pauperes in iudicio jubemur. Quamobrem etsi ad gerendam ecclesiarum omnium solitudinem quotidianas impendimus cogitationes, et curas, ad ea tamen etiam convertimus animum, quæ vel ad confirmandam, vel ad restaurandam in hujus almæ urbis Nostræ tribunalibus rectam, atque integram iudiciorum rationem apta ac consentanea esse comperimus.

§. 2. Cum vero potissimum in causarum palatii Nostri apostolici auditorio, toto orbe celeberrimo, sapientissimis, ac exquisitissimis legibus a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostri instructo, jus non solum Nostri, atque apostolicæ Sedis temporali ditioni subditis populis, sed universo etiam christiano orbi miro ordine reddatur, et qui in illo assident duodecim viri, ab exteris quoque delecti, quæsitique regionibus, nec studio, nec labori parcant in cognoscendis, et summa integritate, ac sapientia dirimendis controversiis, ac litibus, quæ ad eorum auditorium deferuntur, propterea Nos majori semper eandem legum, ac statutorum hujus tribunalis firmitati prospicere volentes, et si quid in iisdem ex fluxa, variabilique humanarum rerum natura sit immutatum, renovare, ac restaurare, ut negotiorum, et causarum, quæ in illo tractantur accuratissimus ordo, ac ratio constet; et præterea dignum omnino existimantes eorundem duodecim virorum dignitatem, ac splendorem augere, et novis eos beneficiis, ac gratis prosequi, hac Nostra constitutione perpetuæ legis vim habituræ, edicimus, atque sancimus.

§. 3. Ac primum omnes, et singulas constitutiones, ac literas apostolicas quocumque nomine nuncupentur quæ in ipsius auditorii, ejusque auditorum, et locumtenentium pro tempore existentium, commodum, et favorem a romanis Pontificibus antecessoribus Nostri, præsertim Martino V., Julio II., Leone X., Clemente VII., Paulo III., Alexandro VII., Clemente X., Clemente XI., Benedicto XIV. et nuper a Clemente XIII. editæ, ac

Laudes auditorii causarum palatii apostolici.

Confirmantur omnes constitutiones apostolicæ in ejus commodum, et favorem latæ a summis Pontificibus; quæ enumerantur.

promulgatæ fuere ; dummodo non sint expresse revocatæ , et Nostræ huic semper valituræ dispositioni non adversentur ; motu proprio , et ex certa scientia , earum tenores pro expressis habentes , de apostolicæ potestatis plenitudine adprobamus , et confirmamus ; et , quatenus opus sit , ex integro renovamus , easque omnimodam et plenariam in posterum habere executionem volumus , et mandamus .

Et præsertim
indulta concessa
ab Innocentio X. et
Benedicto XIV.

§. 4. Suam vero præ cæteris firmitatem habere præcipimus , indultum illud Innocentii X. a laudato Benedicto XIV. in sua constitutione incipiente *Præclara debitæ* commendatum ; quo prædicti auditores consequuti sunt facultatem induendi , ac deferendi rochetum , sive dum ad romani Pontificis pro tempore existentis audientiam , sive dum ad pontificias cappellas , et functiones , sive dum ad auditorium accedunt , ac inde discedunt . Edicimus propterea , et , quatenus opus sit , ampliori modo declaramus , auditores ipsos non tantum in casibus præmissis , atque in functionibus sacris quibuscumque , sed etiam omnibus omnino , ac singulis vicibus , ac temporibus , quibus eos habitu prælatitio indui , ac uti contigerit , rochetto pariter uti , ac indui libere , ac licite posse , atque valere : et ne singulare hoc honori privilegium ob inobservantiam , si quæ forte adsit , legum cæremonialium , commune remaneat , et vilescat ; ideo decretum diei vicesimæ secundæ novembris MDCCXLII. editum in congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris cæremoniis præposita , ab eodem Nostro prædecessore Benedicto XIV. in prædicta sua constitutione adprobatum , innovamus , confirmamus , atque in usum , et observantiam restituimus ; mandantes , ut deinceps nemini ex aliis prælatis , cujusvis ordinis , et collegii fuerit , qui rochetti prærogativa potiatur , liceat eo ornamento insignito per urbem incedere , nisi juxta temporum , et occasionum discrimina , in laudato decreto præscripta ; iis dumtaxat prælatis exceptis , qui in eadem constitutione excipiuntur , et quibus ex summorum Pontificum munificentia insigne illud dignitatis , libere , et quancumque gestare , præcipuorum suorum officiorum ratione , ac præstantia permisum est .

Eximuntur au-
ditores ab onere
indicandi

§. 5. Præterea , quum auditores causarum sacri palatii , eorumque lo-

cum tenentes sint apostolicæ Sedis officiales , ejusque , et romanorum Pontificum capellani , et veri familiares domestici , et continui commensales , idque propterea consequuti fuerint privilegium ab immediato prædecessore Nostro recognitum , et confirmatum ; ut quævis literæ apostolicæ eorum favore expediendæ per viam , uti ajunt , secretam , sine solita jurium , sive enolumentorum solutione expediantur ; Nos hoc merito factum , ratumque habentes , ipsis auditoribus , eorumque locumtenentibus itidem impertimur , et concedimus , ut quatenus beneficia , et pensiones ecclesiasticas , aut prioratum , et monasteriorum commendas obtinuerint , vel demum ad ecclesias episcopales , et archiepiscopales fuerint promoti ; nullam tam in supplicationibus , vel schedulis motus proprii , aut decretis , cedulisve consistorialibus a romano Pontifice subscribendis , quam in literis apostolicis desuper expediendis , teneantur facere aliorum , quæ possident beneficiorum , vel pensionum , ad quas jus habent , mentionem ; sed in supplicationibus , schedulis , decretis , et cedulis ejusmodi , si , et quatenus velint , adjiciatur , quod obstantiæ beneficiales , etiam majores valeant in literis apostolicis desuper expediendis exprimi , ac declarari .

beneficia , que
possident , dum
alia obtinere
desiderant .

§. 6. In illud autem collegium adsciti , cum jam publicis , privatisque exercitationibus satis certum præbuerint scientiæ , doctrinæque suæ experimentum , æquum ducimus , eorumque dignitati consentaneum , idque volumus , ac statuimus , ut si quempiam ex ipsis auditoribus ad minores , vel sacros ordines promoveri contingat , is prorsus ab eo examine sit exemptus , quod coram venerabili fratre Nostro cardinali pro tempore romani Pontificis in urbe , ejusque districtu vicario juxta constitutionem Alexandri pp. VII. cæteri omnes ordinibus initiandi subire debent , ac solent . Quod si ipsorum aliquis auditorum ad episcopatum eligatur , id quoque servari optamus , quod jam sæpe a prædecessoribus Nostri , ac Nobismetipsis factum est ; ut consueto examini se coram romano Pontifice humiliter sistentes , ab eo absoluti , ac dispensati cum apostolica benedictione statim dimittantur .

Et ab examine
in ordinibus
suscipiendis ,
exceptio epis-
copatu .

§. 7. Ejusdem porro qua gaudent , ac præstant singularis opinione doctrinæ , certo accepimus documento , sacram Indicis congregationem sub prædecessore Nostro Clemente pp. VIII.

Facultas con-
ceditur omnes
pravos libros
legendi , et re-
tineandi .

ipsorum auditorum examini, ac iudicio; nonnullos pravæ, aut suspectæ doctrinæ libros subiecisse, atque eorum operam in iis censendis, configendis, vel expurgandis utiliter, ac feliciter adhibuisse. Cumque præterea varii, ac multigeni argumenti causæ ad eorum tribunal identidem deferantur, quæ variam in iudiciis postulant eruditionis, et doctrinæ copiam, quæ e suspectis, vel pravis etiam libris aliquando hauriri potest: Nos de ipsorum auditorum sapientia, fide, ac probitate satis confisi, eorumque studiis favere cupientes, omnibus, et singulis, quamdiu auditorum, et locumtenentium munere perfungentur, indulgemus, et facultatem concedimus legendi, retinendique omnes, et quoscumque ab apostolica Sede, vel ejus congregationibus damnatos, ac prohibitos libros ad jus publicum, civile, vel ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis tamen exceptis, qui catholicam religionem oppugnant, dummodo illos diligenter custodiant, ne ad aliorum manus deveniant. Permittimus autem, ut pro necessitate, aut opportunitate causarum, et studiorum hujusmodi, eorum quoque in studio adjutoribus ditorum librorum lectionem mandare, et concedere possint.

Etiam cum dimittant munus privilegia conservant.

§. 8. Quia vero decet, eum, qui egregio hoc munere decoratus, atque perfunctus fuerit, accepta semel quædam honoris insignia non dimittere, sed retinere; ideo, et hoc indulgemus, ut auditor ille, sive Nostræ pontificiæ, sive exteræ fuerit ditionis, qui ad alia forte munera promotus auditoratu se abdicaverit, valeat deinceps, æque ac si eo se officio non abdicasset, infra scriptis honoribus, privilegiis, atque exemptionibus uti, ac frui; facultate nimirum induendi, ac deferendi consuetum habitum prælatitium cum rochetto; vescendi ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, sibi tamen uni, causa valetudinis, vel laboribus attritæ vel ætate ingravescentis concessis, diebus, et temporibus, quibus iis uti omnino aliis vetitum est; idque ad tramites constitutionis Clementis VII. incipientis *Convenit æquitati*; transferendi præterea annuas ecclesiasticas pensiones usque ad summam ducentorum ducatorum auri de Camera juxta Breve a Clemente XI. editum die xix. septembris MDCCXVI., atque erigendi demum altare, ibique diebus singulis celebrandi, seu celebrare bis faciendi sacrosantum missæ sacrificium, quod ad im-

plendum Ecclesiæ præceptum quibuscumque personis, tunc præsentibus suffragetur, ad formam prælaudatæ constitutionis Clementis XIII. incipientis: *Etsi iustitiæ.*

§. 9. Sacri quoque palatii apostolici magister unus cum sit ex collegio eorundem auditorum, atque illorum ordini, jure, ac merito adjunctus; ratam, firmamque haberi volumus, et jubemus veterem hanc unionem, et aggregationem juxta apostolica indulta prædecessorum Nostrorum Eugenii papæ IV. anno MCDXXXVII., et Alexandri VII. anno MDCLV.: ita ut sacri palatii apostolici magister, ultimum de more locum post omnes auditores tenens, cappellis omnibus pontificiis una cum illis interesse debeat; tum illi, quæ infra octavam festivitatis sanctorum apostolorum Petri, et Pauli in ecclesia sanctæ Mariæ in Via lata ab ipso auditorum collegio haberi solet, nec non alteri ab iisdem quotannis habendæ mense novembri in basilica sanctorum Laurentii, et Damasi pro auditorum jam vita fuكتورum exequiis, atque suffragiis: Sedis præterea vacantis tempore rotarum conclavis custodiæ cum aliis per vicem interesse: cum ipsis quoque in solemnibus, ac publicis summi pontificis comitatu equitare, nec ne cujuslibet auditoris funeri, et exequiis, cæterisque demum ecclesiasticis functionibus cum publicis tum privatis, ad idem collegium quovis modo pertinentibus, semper adesse (exceptis tamen iudiciis, nec non dispensationibus in aula cancellariæ apostolicæ, atque aliis omnibus actis, quæ haberi, vel fieri solent ab auditore noviter electo). Vicissim vero ad exequias ipsius sacri palatii apostolici magistri adesse debeant, iisque assistere prædicti auditores collegialiter, ut ajunt, sine alterius personæ cujusvis commixtione: cæterum ex ejusmodi per Nos confirmata unionem, atque aggregationem, nil volumus innovatum, vel detractum de singularibus gratiis, et privilegiis quibuscumque tum Rotæ auditoribus, tum S. P. A. magistris in suis respective muneribus, et officiis competentibus.

§. 10. In iudiciis autem, atque in iustitiæ administratione servandam, atque constanter exequendam volumus in prædicto auditorio antiquam iudicandi methodum a memorato prædecessore Nostro Clemente XIII. restitutam, nec non praxim, usum, et consuetudines pro ejusdem auditorii, ac tribunalis regimine, sive interno, sive

Magister apostolici palatii ultimus est ex collegio auditorum.

In iudiciis, et iustitiæ administratione specialem praxim sequitur, et usus a consuetudine confirmatos.

externo, probe, ac laudabiliter inductas. Et servandum, retinendumque præsertim præcipimus quicquid in constitutionibus Nostrorum pariter prædecessorum Gregorii XI. et Pauli V. continetur circa competentem eidem auditorio auctoritatem in personas advocatorum, et procuratorum curialium, quam Nos iterum ei concedimus, et impertimur; et novas insuper, quatenus opus sit, facultates adjungimus, tum pro admissione, et adprobatione illorum, qui vel inter advocatos, et rotalium causarum patronos, seu procuratores adscribi volunt; ut scilicet admitti, et adprobari ii tantummodo mereantur, qui doctrina, morum honestate, aliisque arbitrio tribunalis necessariis qualitatibus polleant; tum etiam pro præfinitione, ac præscriptione regularum, et reformationum, prout occasio, ac opportunitas feret, circa modum, ac stylum scribendi, tractandi, atque agendi in causis: tum denique pro eorundem advocatorum, et patronorum, seu procuratorum, quoties præfinitis, et præscriptis legibus ausi fuerint contraire; correctione, ac punitione cum penis ipsius auditorii arbitrio infligendis, ac subeundis.

§. 11. Cum vero ad hujus tribunalis decus, et ornamentum, non tuendum modo, sed etiam amplificandum maxime conferat hominum egregiorum delectus, qui laboribus, ac studiis suis opem conferant, et auxilium iudicibus optimis in multiplicium, ac gravissimarum causarum examine, et definitione: volumus propterea, præcimus, ac mandamus, ut qui nuper fuere, vel erunt in posterum in Rotæ auditores electi, quique jam de sua quisque electione Pontificium motum proprium auditorio exhibuerint, aliquo tempore priusquam publicas disputationes, seu conclusiones habuerint, tradere omnino teneantur ipsius auditorii decano notulam, in qua nomen, cognomen, et patria inscribatur illius, quem novus quisque auditor adsciverit, atque aptum, et idoneum censuerit ad implendam operam, et munus sui in studio adjutoris, una cum authenticis probationibus infrascriptarum qualitatium, et requisitorum, quibus ille præditus esse debeat: quæque erunt ab eodem decano summa diligentia, ac rigore expendenda, ut ea deinde referat in pleno auditorio, cui integra sit potestas, et arbitrium admittendi præsentatum, ut supra, vel etiam eum repellendi, quatenus ita in Domino

Bull. Rom. Tom. IV.

censuerit, omni sublata ab ejus iudicio recurrenti, ac reclamandi facultate; censi enim omnino debet, non nisi justis ex causis, ac urgentibus prudentissimis rationibus, silentio etiam quandoque obtegendis, ab integerrimo tribunali exclusionem ejusmodi decerni. Requisita vero hæc esse debebant; nempe, natalium honestas: ætas non minor annis triginta: doctoratus in archigymnasio Sapientiæ hujus almæ urbis nostræ susceptus: studium juris expletum in eadem alma urbe octo saltem annorum spatio, vel apud aliquem ex iisdem auditoribus, aut locatentibus in Secreti, ut vocant officio, ac munere, vel cum quis apud alios urbis iudices ordinarios, aut celebriores advocatos sedulam, atque utilem operam per idem tempus navaverit. Quæ autem modo decernimus esse servanda pro legitima admissione novi in studio adjutoris, servari pariter debebunt toties, quoties alter in locum jam admissi erit forte ab unoquoque ex auditoribus assumendus, et subrogandus.

§. 12. Ab onere tamen probandi requisita mox exposita exemptos esse declaramus, ac volumus eos omnes, qui editæ hujus constitutionis tempore, penes aliquem ex prædictis auditoribus munus adjutoris in studio, vel actu exercent, vel alias laudabiliter exercent: sicuti pariter neque huic legi subjectos unquam esse intendimus duos illos (neque enim plures esse debent) qui sub Secreti nomine a singulis auditoribus in majus quoddam studii, ac laboris levamen assumuntur. Optamus autem hos quoque præditos esse, quantum fieri poterit, natalium, ætatis, ac morum, doctrinæque prærogativis; ideoque auditores ipsos vel nuper electos, vel in futurum eligendos, paterno commonemus affectu, ac vehementer hortamur, ut dum pro ipsorum arbitrio, ac conscientia juvenes hos in studii societatem seligere, atque admittere indulgemus, optimos selegisse, ac admisisse utiles tum sibi, tum illis, tum denique publico bono sentiant, et gratulentur.

§. 13. Quia porro ad conciliandam magis in dies Nostro huic auditorio prudentiæ famam, ac tuendam in dicendis pro justitia cujusque sententiis libertatem, confert quammaxime diligens, ac perpetua silentii, sive secreti custodia. Ideo tum omnibus, et singulis auditoribus, et locumtinentibus, tum eorum in studio adjutoribus, atque Secretis serio præcipimus, et ju-

Et hinc quoque Secretos.

Omnibus tamen prohibetur sub poena excommunicationis latæ sententiæ ne suffragia, et secreta auditorii pendent.

hemus, ut præ oculis habeant, religioseque servant, ac exequantur prædecessoris Nostri Urbani VIII. constitutionem, qua sub perjurii, et majoris excommunicationis pœna interdicitur, et inhibetur, ne vota, ac suffragia, et secreta auditorii pandantur, sublata quoad auditores ipsos, et locumtenentes contraria quacumque consuetudine, excusatione, aut perversa legis interpretatione, quasi in ipsorum tantum lata sit commodum, cui libere, et pro arbitrato valeat unusquisque renunciare. Curent autem iidem auditores, et locumtenentes, ac omnino provideant, ut ineunte quolibet anno rotali omnes prorsus, ac singuli sive studiorum adjutores, sive Secreti eam constitutionem sese servaturos, juxta formam inibi traditam promittant, et jurent in Rota, quæ ideo vocatur juramentorum, quæque habetur in Quirinali, post factam Rotæ aperitionem in Vaticano. Si vero supradicti studiorum adjutores, et Secreti, fortasse ob absentiam ab urbe, vel ob aliud legitimum impedimentum in Rota juramentorum non interfuerint; tunc ad prædictum juramentum præstandum omnino teneantur in manibus prælati, cui sunt addicti, priusquam resumant studii rotalis exercitium, præstitique juramenti testimonium apud tribunalis decanum deferre; et si præscriptis hisce temporibus, ac modis non jura-verint, ab officio, et munere removeantur.

De modo servando in decisionibus edendis, et publicandis.

§. 14. Conveniens præterea, et consentaneum præmissis est quod præcipimus, et sancimus; ne decisiones, quæ sunt exarata, et in promptu, ut typis vulgentur, per adjutorem studii, sub iisdem pœnis, quæ in urbana constitutione secreti violatoribus inflictæ sunt, partibus litigantibus, aut alteri cuiquam extra auditorium tradantur; vel communicentur, nisi prius fuerint a proprio prælato ponente adprobata, ac subscripta. Ponens vero antequam subscribat, eas diligenter inspicere, et examinare teneatur, valeatque pro suo prudenti arbitrio copiam ipsarum facere, (ut jam in more positum est) partibus instantibus pro promulgatione, et in iis, quæ facti sunt partes ipsas audire, ad hoc, ut omnino edantur veritate factorum, juris regulis, et rationum momentis probe subnixæ, superfluis rejectis: ac præsertim consentaneæ sint suffragiis, quibus causa definita est; nam si in lucem prodierint non satis, ac decet, emendatæ, et ca-

stigatæ, ipsemet ponens non solum universono auditorio, sed etiam summo Pontifici rationem erit redditurus. Utque hac de re magis, magisque caveatur, volumus, et mandamus, ut typographus cameralis, sub gravioribus Nostro et successorum Nostrorum arbitrio reservatis pœnis, nullam prorsus audeat imprimere decisionem, cui desit solitum ponentis imprimatur. Imo etiam quamvis adsit; si tamen animadvertent scripturam lituris, atque additamentis fuisse corruptam, quæ manu, et caractere ponentis minime probata fuerint, differat adhuc typis mandare, donec sibi compertum fuerit nullam fraudem, ac dolum intercessisse.

§. 15. Quoniam vero sua debetur labori merces, et præmium, plane æquum, et congruum existimamus, ut studiorum adjutori propter laborem in hujusmodi decisionibus exarandis impensum aliquid persolvatur; quod tamen laudatissimæ Nostræ romanæ curiæ integritati, ac moderationi respondeat; quod ipsius Rotæ studio in coerendis litium expensis conveniat; quod denique non sit turpis cupiditatis, et avaritiæ veluti incitamentum. Quamobrem præcipimus, et jubemus, ut studiorum adjutoribus, neque minus scutis tribus pro qualibet decisione solvatur; neque ipsi plus scutis triginta recipere possint; etiamsi longa, difficilis, et operosa esset decisio; etiamsi lis inter nobiles viros, principes, capitula cathedralium, aut metropolitanarum ecclesiarum, episcopos, archiepiscopos, S. R. E. cardinales, et quoscumque alios, quavis dignitate præstantes agatur; etiamsi sponte a procuratoribus, agentibus, aut aliis quibuscumque major quantitas offeratur, ne alienæ liberalitatis colore obducta videatur eorum lucrandi cupiditas: nolimus tamen, ut quæ duo decisionum emolumenta modo nominavimus, ita accipiantur, ut semper, et indistincte alterutrum ex iis debeatur solvi; prudenti enim procuratorum arbitrio committimus, ut juxta causarum qualitatem, litigantium conditionem, quæstionis gravitatem, et laborem in extendenda decisione impensum, major, vel minor quantitas intra summam scutorum trium, et summam scutorum triginta pro qualibet decisione tribuatur; dummodo eorum arbitrium summam, ut præcipimus, scutorum triginta non excedat; studii vero adjutores oblatam ultro quantitatem comiter, ut decet, accipiant, et sine ulla prorsus illiberali

De præmio colligendo ab extensore decisionum.

querela. Quod si ultra summam scuto-
rum triginta quocumque nomine, mo-
do, prætextu, colore, et titulo etiam
muneris, et rei gratuito dono datæ
exactum fuerit, volumus, ut quilibet
delator nuntiare id possit, vel audito-
ri decano, vel alteri ex duobus aliis
auditoribus in ordine antiquioribus, qui
tres collatis insimul consiliis, ac pen-
satis facti probationibus, adiutorem
istum ad male accepti restitutionem
compellent, et in eum, prout expedi-
re judicaverint, severius etiam animad-
vertent.

§. 16. Ipsam præterea auditorii de-
canum, duosque in ordine antiquio-
res auditores, quorum prudentiam, ma-
turitatem, et rerum in tribunali agen-
darum diuturnam experientiam pluri-
mi faciendam esse existimamus, inspec-
tores quasi, ac censores nominamus,
constituimus, et deputamus, penes
quos in studiorum adiutores, atque Se-
cretos omnes sit præcipua potestas, ita
ut non modo adversus illos, si in of-
ficio reprehendantur, querelas excipiant,
verum etiam studiose inquireant, utrum
suo aliqui munere abutantur, et si ali-
quos deliquisse comperiant, facultatem
concedimus, vel eos animadversione
aliqua ad tempus coercere, vel etiam
ab officio repellere, vel alias irrogare
pœnas, prout idem decanus, antiquio-
resque duo auditores conveniens, at-
que opportunum magis judicaverint:
in gravioribus tamen, et si muneris
privatio erit, irroganda. Nos, successo-
resque Nostros instructos, et certiores
prius fieri volumus, ut iudicium su-
prema Nostra auctoritate munitum pro-
cedat exactius, et tutius exequi valeat.
Alacri igitur animo pergant juvenes,
virique selectissimi in iis, quæ sui
sunt muneris, diligentissimam navare
operam: noverint enim, quod Nos pa-
terno semper amore eos prosequemur,
et tamquam Nostro, ac sanctæ hujus
Sedis obsequio addictos, eorum com-
moda, honores, et progressus pro op-
portunitatibus diligentissime curabimus;
ac in conferendis dignitatibus, mune-
ribus, et officiis, canonum, legumque
peritiam requirentibus, ipsos præser-
tim ob assiduam, et laudabilem exer-
citationem, ut magis aptos, et idoneos,
cæteris, quantum Nobis integrum erit,
amantissime præferemus; atque id ip-
sum non dubitamus præstituros esse:
romanos Pontifices successores Nostros
non secus enim, ac Nos, intelligenti,
quantum ad virtutis incrementum, ac
reipublicæ utilitatem pertineat ornare

laudibus, et præmiis afficerè vobis inter
legum studia assidue versatos, doctos,
ac eruditos, et ad publica gerenda
munera præ cæteris aptissime exercitos,
atque institutos.

§. 17. Nostræ pariter sollicitudinè,
ac providentiæ convenit sedulo prospice-
re, nostraque efficere auctoritate, ut
inter eosdem auditores, pro officii, ac
laboris merito, quæ ipsis debentur
emolumenta, æquo jure dividantur.
Quamobrem præcipimus, ac statuimus
ut si quis ex auditoribus, et locum-
tenentibus absit ab urbe, vel ratione
infirmi- tatis, vel statutis de more fe-
riarum temporibus, in quibus audito-
rium a judiciis vacat, nihil ipsi de ju-
ribus, sportulis, ac emolumentis de-
cedat; si vero absit non feriato anni
tempore, atque eo præsertim, in quo
copiosior est litium, et causarum nu-
merus, idque ex speciali summi Pon-
tificis commissione, proque apostolicæ
hujus Sedis causa contingat, habeat
quidem stipendium mense quolibet di-
stribui solitum, alia vero omnia emo-
lumenta auditoribus præsentibus tan-
tum æquo jure accrescant: in cæteris
autem ejusmodi absentiae casibus quam-
vis summi Pontificis veniam pro die-
cessu impetraverit, omnibus tamen
careat juribus, mensuris stipendiis,
sportulis, emolumentis quibuscumque;
tam certis, quam incertis, habita ra-
tione temporis absentiae; quam si pro-
traxerit etiam ad ferias interim recan-
rentes, feriat quoque hujus temporis
emolumentis privetur; quæ inter cæ-
teros auditores dividantur, tamquam
in majorum laborum, quos in colle-
gæ absentia illos ferre necesse fuit, præ-
mium, ac compensationem. Indulge-
mus tamen, atque permittimus eo to-
to tempore quempiam abesse posse (de-
bita cum venia summi Pontificis) quod
intercedit ab ultima Rota mensis juli-
i usque ad primam mensis novembrii;
et quamvis congregationi Rotali, quæ
habetur mense octobris ille non interfue-
rit, nihilo tamen minus volumus
ejusdem absentis rationem haberi in di-
stributione stipendii, et emolumenta-
rum, quæ illo tempore debeantur: re-
linquimus imò in potestate, et arbitrio
totius auditorii longioris absentiae ve-
niam per totum dumtaxat mensem de-
cembrii omnibet prorogandi absque ullo
prædictorum emolumentorum detri-
mento, juxta singulorum casuum vices,
et circumstantias, prout magis pro sua æ-
quitate, et prudentia expedire judicaverit.

Decanus, et in
in ordine an-
tiquiores audi-
tores, inspecto-
res, et censo-
res sunt adju-
torum a studiis
et Secretorum.

Quomodo spor-
tula sint divi-
dendæ, statui-
tur.

De iis qui-
quique ex au-
ditoribus præ-
stare debet
cum vel munere
se abdicaverit,
vel ab eo
quavis de causa
cessaverit.

§. 18. Tandem neque illud cense-
mus prætereundum, quo iuribus liti-
gantium, et recto iudiciorum ordini
conservando magis consulitur, ac pro-
videtur. Itaque statim ac quilibet au-
ditor, aut locumtenens, vel suo se mu-
nere abdicaverit, vel alia quacumque
ratione eo fungi desierit, volumus, ut
neque ipse, neque suorum studiorum
adjutor, aut Secreti ullo modo in re-
bus, aut negotiis ad tribunal spectan-
tibus, neque etiam in decisionibus elu-
cubrandis sese immiscere audeant; sed
immo idem ipse, qui auditoratus, vel
locumtenentis munere perfunctus est,
ejusque studii adjutor, et Secreti, dia-
ria rotalia, atque suffragia tam sua,
quam aliorum auditorum, in iis qui-
dem causis, in quibus jam decisio pro-
diit in lucem, auditori camerario tra-
dere teneantur, vel in archivio, quod
a prædecessore Nostro Clemente XIII.
nuper in palatio apostolico Quirinali
extractum est, custodienda, vel ad alios
usus juxta leges, et instituta tribunalis
retinenda; in aliis vero causis, in qui-
bus decisio desideratur, auditori deca-
no porrigere debeant, qui eadem suf-
fragia novo, qui subrogabitur causæ
ponenti tradere debebit.

Decanus novi-
ter eligendis
constitutionem
communicare te-
netur, ut illam
in omnibus, et
continuo ob-
servent.

§. 19. Utque omnia a Nobis in No-
stra hac perpetuo valitura constitutio-
ne sancita, atque decreta, altius sem-
per insideant mentibus, tum nuper ele-
ctorum, tum eligendorum in posterum
Rotæ auditorum, et rite, accurateque
ab omnibus servari valeant; jubemus,
atque mandamus eidem auditori deca-
no, ut instructioni, per ipsum tradi-
solitæ unicuique ex noviter electis ad
eos erudiendos de his quæ agenda sunt,
vel ante, vel post acceptum auditora-
tus officium, suis apte locis adjunge-
re, et adnotare curet ea omnia, quæ
ex hac ipsa constitutione Nostra vide-
rit scitu digna ad novi ipsius audito-
rii uberiores cognitionem, notitiam,
directionemque, ac Nostræ huic vo-
luntati debitam observantiam, atque
obedientiam.

Clausulæ salu-
tares, ut suam
constitutio sor-
tatur effectum

§. 20. Decernentes postremo has
Nostras literas, et in eis contenta quæ-
cumque, etiam ex eo quod quicum-
que in præmissis seu illorum aliquo
quomodolibet interesse habentes, seu
habere putantes ad hoc vocati et au-
diti non fuerint, aut ex quibusvis aliis
causis de subreptionis, vel obreptionis,
aut nullitatis vitio, seu intentionis No-
stræ, vel quovis alio defectu notari,
impugnari, aut alias infringi seu quo-
modolibet retractari, suspendi, restrin-

gi, limitari, vel eis in aliquo deroga-
ri nullatenus unquam posse, easque
omnino sub quibusvis generalibus con-
stitutionibus, revocationibus, deroga-
tionibus, modificationibus, decretis,
vel declarationibus etiam motu scientia
et potestatis plenitudine similibus,
ac etiam consistorialiter, ac alias qui-
busvis de causis pro tempore factis mi-
nime comprehendi, sed semper ab il-
lis exceptas, semperque et perpetuo
firmas, validas, et efficaces esse et fo-
re, suosque plenarios, et integros ef-
fectus sortiri, et obtinere, ac ab om-
nibus, ad quos spectat, et spectabit
quomodolibet in futurum perpetuo et
inviolabiliter observari: eidemque au-
ditorio, illiusque auditoribus, et lo-
cumtenentibus, necnon studiorum adju-
toribus, et Secretis nunc, et pro tem-
pore existentibus, perpetuis futuris tem-
poribus plenissime suffragari debere.
Eisdemque super præmissis omnibus
et singulis, vel illorum occasione per
quoscumque alios quavis auctoritate et
præeminentia fulgentes quomodolibet
molestari, perturbari, vel impediri num-
quam posse.

§. 21. Sicque et non aliter in præ-
missis, et circa ea per quoscumque ju-
dices, ac tribunalia etiam collegialia
ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ
cardinales etiam de latere legatos, vi-
ce-legatos, dictæque Sedis nuncios,
sublata eis, et eorum cuilibet quavis
aliter judicandi, et interpretandi facul-
tate, et auctoritate judicari, et definiri
debere, et si secus super his a quo-
quam quavis auctoritate scienter, vel
ignoranter contigerit attentari, irritum,
et inane pari auctoritate etiam decer-
nimus.

Clausulasubla-
ta, et decre-
tum irritans.

§. 22. Non obstantibus quatenus
opus sit nostra, et cancellariæ aposto-
licæ regula de jure quæsito non tol-
lendo, et Pii IV. de gratis interesse
Cameræ apostolicæ quomodolibet con-
cernentibus in eadem Camera registran-
dis, et insinuandis, aliisque apostoli-
cis aliorum quorumcumque romano-
rum Pontificum prædecessorum No-
strorum, et præcipue Clementis VIII.
et Alexandri VII. super examine pro-
movendorum ad ecclesiarum régimi-
na, et ad sacros ordines, ac in qui-
busvis conciliis editis specialibus, vel
generalibus constitutionibus et ordina-
tionibus: privilegiis quoque, indultis;
et literis apostolicis quibusvis tribuna-
libus, et congregationibus Sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ cardinalium, ac pro
tempore esistenti in urbe ejusque di-

Derogatio om-
nium contra-
riorum.

strictu cardinali vicario in spiritualibus generali, et quibuscumque romanæ curiæ prælatorum ordinibus, et collegiis, et singularibus personis per quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostros, et Sedem apostolicam prædictam sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, quamvis iteratis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata, præsentibus inserti forent, iisdem præsentibus nostris literis pro sufficienter expressis, et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad effectum validitatis, et perpetuæ firmitatis præmissorum omnium, et singulorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, aliisque omnibus, et singulis, quæ superius enunciati prædecessores Nostri in singulis eorum literis, indulta, privilegia, prærogativas, exemptiones, et gratias eidem auditorio, illiusque auditoribus, et locumtenentibus attributa concernentibus voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque.

§. 23. Volumus autem, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ipsas præsentibus, seu earum transumpta in locis solitis æmæ urbis Nostræ per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, et affigi, sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos quos concernunt, et concernent in futurum perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent.

§. 25. Volumus insuper, quod eorumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo ipsius auditorii munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 26. Nulli ergo omnino homi-

num liceat hanc paginam Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, indulti, concessionis, declarationis, commissionis, mandati, præcepti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo, decimo septimo kalendas junii pontificatus Nostri anno primo.

C. Card. pro-Datarius.

A. Card. Nigronius.

Visa

De curia J. Manassei.

L. Eugenius

Loco ✕ plumbi.

Reg. in secretaria Brevium.

Anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo-septingentesimo septuagesimo, indictione tertia, die vero quarta junii, pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Clementis pp. XIV. anno secundo, recurrentibus ejus coronationis solemnibus, supradicta constitutio affixa et publicata fuit ad valvas basilicæ Lateranensis, et principis apostolorum, et cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte Citorio, et in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis et consuetis urbis, per me Gregorium Giardini apostolicum curso-

Antonius Befani mag. curs.

Fides habenda
transumptis.

Tam in iudicio
quam extra il-
lud.

Sanctio poena-
lis.